INDEX LECTIONUM

IN

LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI

INDE

A DIE XXVII. MENSIS OCTOBRIS MDCCCLI

USQUE

AD DIEM XX. MENSIS MARTII MDCCCLII

HABENDARUM.

INEST

DE LIBRIS TACTICIS, QUI ARRIANI ET AELIANI FERUNTUR,

DISSERTATIO.

TURICI,

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI.

1851.

Quum per decem fere annos gymnasii Dresdensis discipulis Xenophontem, Arrianum, Caesarem, Curtium enarrabam, non solum ut verba in sermonem vernaculum transferre atque ad grammaticae regulas revocare discerent, sed etiam ut res ab illis auctoribus narratas accurate cognoscerent cum omnino strenue operam dedi, tum, quantum mihi licebat rei militaris imperito, in eo elaboravi, ut res ad bella illa antiqua spectantes perspicerent. Quem locum multis recentiorum erroribus implicatum esse jam tum intellexi. Ita, ne arrogantius id dixisse videar, quis non repetat illud decantatum, Macedonum phalangem maximis clipeis et sedecim cubitorum sarissis instructam etiam Alexandrei exercitus florem atque robur fuisse? Verum enim vero nec quomodo una manu, quae ejusmodi clipeum tenenti sola restat, tam monstrosae longitudinis hasta geri et agitari queat quisquam cogitavit, et in proeliis ab Alexandro commissis partes primarias ipsumque discrimen non penes phalangitas, sed penes equites Macedones atque hypaspistas fuisse Arrianus vel semel obiterque inspectus docere poterat! Tum a nonnullis adhuc interpretibus λόχοι ὄρθιοι pro anserino, quod dicitur, agmine habentur, quod agmen ante aliquot annos ab adolescentulis ludibrii non minus quam literarum studiosis exercitatum, sed gravissimis magistratuum minis poenisque affectum esse scimus. Sed nolo exempla cumulare: unum addo satis ridiculum. Quis non conspexerit in omnibus hujus generis libris ballistam illam uno brachio armatam, quod in trullam sive cochlear excurrit, cui cochleari saxa emittenda imponantur? Ne novissimus quidem militiae Romanae scriptor, Fr. Rückertus, qui omnino libellum suum (»*das römische Kriegswesen u. s. w. Berlin.* 1850.«) tantum ex priorum operibus compilavit, bellissimum illud inventum neglexit: vid. tab. II, fig. 16. Atqui totum illud tormentum ex solo Folardi ingenio fluxit harum rerum feracissimo: cochlear vero illud originem suam traxit e cochleis duabus ligneis, quibus Ammianus Marcellinus XXIII, 4, male ille a Folardo intellectus, sui temporis ballistam instructam scribit, cui ballistae nihil commune est cum antiquioribus catapultis, quibus et Alexander ejusque successores usi sunt et Romanos certe ad Augusti usque tempora usos esse ex Vitruvio apparet. Sed haec sufficiant!

Itaque cum jam dudum intellexissem hunc antiquitatis Graecae et Romanae locum si quem alium novo labore studioque et egentem et vero dignum esse, me solum tamen propter rei inscitiam ei operi imparem esse probe intellexi. Et profecto perpaucis tantum hujus temporis philologis contigit, ut rerum pariter atque utriusque linguae gnari ad explicandas antiquitates accedant: quos inter quasi solem elucere summum Boeckhium quis nescit, etiamsi ipsa, quae ille doctissime et sollertissime explanavit, nesciat? Nos quidem, qui plebs sumus, unum habemus reliquum, ut auxilia quaeramus, quibus ingenii scientiaeque defectus aliquo modo compensetur. Id vero, quod frustra olim assequi studui, eodem meo mihi contigit exilio, quod jam Quintum et Manethonem mihi extorsit. Tam verum est nullam fere tam magnam accidere calamitatem, cui non aliquid boni insit. Cum enim Turici Guilielmus Ruestovius, vir militaris, in meam pervenisset notitiam, qui et ipse civicorum motuum aestu in Helveticam oram esset projectus, videremque eum non solum suae artis scientia et usu egregie praeditum, sed etiam literis antiquis haud mediocriter imbutum, cum eo operam conjunxi, ut quod neuter nostrum solus praestare valeret, id Actorionum instar consociati perficeremus. Absolvimus igitur jam rei militaris apud Graecos historiam ad Pyrrhi usque tempora deductam, qui liber hoc ipso etiam anno in lucem prodibit.

Jam cum eo in libro conscribendo major et magis conspicua laboris pars militi ut et rerum et verborum ejus artis gnaro esset sustinendus, nec ipse tamen fontibus strenue inquirendis et perscrutandis defui, cujus laboris fructus etsi in librum redundabat, ipse tamen labor integer non poterat in librum recipi. Ex hoc labore placet hac data opportunitate partem quandam proponere, quae vel ad eorum philologorum studia, qui solis scriptorum verbis explicandis et emendandis delectantur, propius accedere videtur.

Duos superesse constat de instruendis aciebus libellos, quorum unus Aeliani, alter Arriani nomine circumfertur. Ille, quem post excerptum appellationum ad rem militarem spectantium, quod adjectum legitur Thomae Magistro Phrynicho et Moschopulo Lutetiae apud Vascosanum a. 1532 impressis, primum integrum edidit e tribus mss. cum interpretatione latina multisque imaginibus et picturis Franciscus Robortellus Venetiis 1552, cujus operam repetiit Conradus Gesnerus in editione omnium Claudii Aeliani operum Turicensi 1556. p. 523—606, tertio Sixtus Arcerius

Lugduni Bat. a. 1613 *); ille igitur libellus, qui *Αἰλιανοῦ περὶ στρατηγικῶν τάξεων ἑλληνικῶν βιβλίον* inscribitur, praeter prooemium Adriano imperatori inscriptum capita LIII tenet et integèr atque primo aspectu totus sincerus videtur. Arriani qui fertur libellus primum a Scheffero, qui descriptum ex codice Mediolanensi a Bigotio acceperat, una cum Mauricio Upsaliae a. 1664 editus est, cujus editionem omissis tantum capitum notationibus integram repetiit, sed conjunctam cum aliis Arriani opusculis Nicolaus Blancardus Amstelodami 1683 et 1750. Is non solum titulo et initio mutilatus, sed etiam intermediis subinde lacunis deturpatus, duabus constat partibus argumento cognato, sed tamen dissimili, quarum prior (c. 1—45 ed. Scheff. p. 3—74 ed. Blanc.) eadem tractat atque Aeliani opusculum, altera (c. 46—66 S. p. 75—97 B.) de exercitationibus equitum Romanorum agit magis ad ostentationem quam ad veri belli usum institutis, cui tractatu extremo epilogus adhaeret vigesimo imperii Hadrianei anno, hoc est a. 137 p. Ch. n. scriptus, cujus in fine additur: *Ἀρριανοῦ τέχνη τακτική.* Tum sequitur *Ἀρριανοῦ ἔκταξις κατὰ Ἀλανῶν.* Sed de hoc epilogo et omnino de altera opusculi parte deinde videbimus. Nunc de priore parte et, quae inter eam atque Aeliani libellum ratio intercedat, agamus.

Ea facile tribus verbis indicari potest. Sunt enim duo illi, qui diversi diversorum auctorum feruntur libelli, nihil aliud nisi unius ejusdemque libri diversae recensiones sive editiones. Id liquide demonstrari potest cum ex consensu, tum ex dissensu eorum.

Atque, ut a consensu faciamus initium, cum omnino summa in iis conspicua est non solum argumenti, sed etiam ordinis atque enarrationis similitudo, tum ex quinquaginta tribus Aeliani capitibus non minus triginta novem (c. 1—9. 11. 13—20. 24—31. 35—37. 39—42. 48—53.) cum toto Arriani scripto — volumus enim commoditatis et brevitatis gratia nomina adhuc retinere — et quod res et quod singula paene vocabula attinet accuratissime concinunt. Haec igitur capita primum perstringam, ut simul, quae post editores mihi insuper emendanda videantur, breviter indicem.

Ael. I. = Arr. c. 1 S. p. 3—5 B. — *ἄρξομαι.* — Initium, quod excidit ex Arriano, cujus prima verba sunt: *ὁ Πύρρου παῖς,* commode ex Aeliano suppleri potest. In enarrandis rei militaris scriptoribus uberior est

*) Haec editio mihi non ad manum fuit.

Arrianus, nisi quod alter Bionem quendam addit, pro quo haud scio an Biton restituendus sit, cujus de machinis bellicis libellum habemus satis quidem obscurum in collectione Thevenotiana p. 105—114. Sed de scriptorum illorum brevitate et de sui operis ratione multo plenius exponit Aelianus verbis: ἐπέγνων — χρειωδέστερον τούτου, etiam Platonis auctoritate allata.

Emendanda in Arriano: τῷ Ῥωμαίων] Ῥωμαίῳ, ut et Aelianus. — καὶ Καρχηδόνα] dele καί aut pone ante συγγέγραπται. — οἱ μὲν γὰρ ὡς] dele γάρ; nam unum est membrum a καὶ τοίνυν — ἄγνωστα. — τοῦτο δὲ αὐτός] αὐτό: propter hoc ipsum.

Emendanda in Aeliano: Μνησθέα] Μενεσθέα. Vid. Hom. B, 553 sq. — καὶ στρατηγικὰ] ὁ τὰ στρ.: exscripsit, ut saepius, Polyb. X, 44, 1: Αἰνείας ὁ τὰ περὶ τῶν στρατηγικῶν ὑπομνήματα συντεταγμένος. Nisi ante καὶ στρ. excidit τακτικά, quemadmodum qui superest Aeneae de toleranda obsidione tractatus per abusum τακτικόν τε καὶ πολιορκητικὸν ὑπόμνημα inscribitur.

Ael. II. = Arr. c. 2—7 S. p. 5—17 B. ὅτι δεῖ — ἔχοντας. — Arrianus accuratius, quae ad elephantos et currus pertinent, persecutus est, quae Aelianus excerpsisse videtur, promittens tamen καὶ — ἐροῦμεν se de re navali postea dicturum, quod non fecit

Emendanda in Arriano: c. 2. Initio sic interpunge et scribe: — ἄρξομαι, ὅτι τῶν παρασκευῶν, ὧν δεῖ εἰς τὸν πόλεμον, ἡ μὲν etc. — Post μαχίμου adde haec: τὸ μὲν ἁπλοῦν, τὸ πεζόν: cfr. infra c. 3: ἡ μὲν δὴ ἀπὸ τῶν ἐλεφάντων μάχη ἁπλῆ ἐστιν. — c. 3. Distingue: ἔφερον ἔστιν ὅτε οἱ ἐλέφαντες, τῶν δὲ καὶ οἱ etc. omisso καί, quod vulgo post ὅτε legitur. — τῷ μὴ ἀποθρ.] τοῦ. — c. 4. ἔν τε τὸ ὅπλ.] ἔς. — καὶ σαρίσας] ἢ σαρ. — πᾶν, ὅτι περ] πάντα, ὅ, τι περ. — πρὸ τῆς κνήμης, ὡς ἐν ταῖς μάχαις προβαλλομένης] Schefferus ex Vegetio I, 20 δεξιᾶς post κνήμης addi vult. Sed comparanti, quae ibid. extr. leguntur cum iis, quae Livius IX, 40 de linteata Samnitium legione refert, haud improbabile videatur, Romanos milites alio tempore in sinistro, alio in dextro crure ocreas singulas habuisse. Hinc pro ὡς tantum τῆς scripserim, re in ambiguo relicta. — c. 5. ἢ κοντοφόροι itemque paullo post ἢ κόντοις — Σαυρομάται delenda sunt, utpote ex iis confecta, quae infra c. 7 leguntur: Ῥωμαίοις — ἔχουσι. Et cfr. Aelianum c. 6. Post οἳ δὴ καὶ ex Aeliano insere ἰδίως, sed tum dele: ἢ κοντοφόροι itemque paullo ante καὶ κόντοις. — ἐφιστάμενοι] ἀφιστάμ. — παριππεύοντες] περιιππ. — αὐτοὶ καλοῦνται] οὗτοι, ut et Aelianus. — c. 7. πεπληγμένον] ἐπηλλαγμένον conjecit Doernerus in interpretatione vernacula, quod sane supra c. 4. Sed haud scio an πεπλεγμένον praeferendum sit.

Emendanda in Aeliano: εἰς τοῦτο δὲ τὸ γένος καὶ τὰ τοῦ Ἀργίλου ὅπλον κατατάττεται] De peltastis sermonem esse patet; sed quis ille fuerit Argilus, nemo tradidit. Male doctus cogitare possit aut de Argilo, Thraciae urbe, cum peltam

initio Thracum constet propriam fuisse, aut de aliquo duce, qui multum peltastis usus fuerit, ut de Chabria, de Agesilao, vel etiam de Alexandro, quoniam Iphicratis quidem, peltastarum principis, nomen longius abest. Sed haec et per se improbabilia sunt in tanto omnium silentio, et multo improbabiliora apparent cogitanti, non solum Arrianum, qui simpliciter loco parallelo τὸ πελταστικόν nominat, sed etiam Leonem et Constantinum, quorum ille VI, 34–39, hic p. 1228 sq. ed. Meurs. hunc de ὁπλίσει locum exscripserunt, Argilum illum prorsus ignorare. Abeat igitur, unde irrepsit. Aelianus haud dubie scripserat: τὸ τοῦ πελταστικοῦ ὅπλον, unde Leo l. c. § 37 ἡ τῶν πελταστῶν ὅπλισις effecit. — χωρὶς θυρεῶν αὐτῶν μόνον] αὐτό, ut Arrianus. — ὑπακοντισταί] ἱππακοντισταί, ut idem. — Τηραντίνους πόρρωθεν] Adde τούς ante πόρρ.

Ael. III. = Arr. c. 8 S. p. 17 sq. B. ἑκάστης — εὐταξίᾳ. Prolixius rem exponit Arrianus, sed Aelianus definitiones artis tacticae ex Aenea et Polybio desumptas addit: ὅρον — πόλεμον.

Emendandum in Aeliano: πρὸς τὸν κατὰ] τά.

Ael. IV. = Arr. c. 9 S. p. 18—20 B. τὸ μὲν — γίνεται. Ad verbum fere sibi respondent, nisi quod paullo longior est Arrianus. Ceterum quae ab hoc inde capite in ambobus libellis explicantur artis vocabula, ea fere omnia collecta invenias in illo excerpto supra commemorato, quod ipsum hoc titulo instructum: ἑρμηνεία τῶν ἐπιστρατευμάτων καὶ πολεμικῶν παρατάξεων φωνῶν appendicis loco Suidae subjungitur, editum etiam a Montefalconio in biblioth. Coislin. p. 505—513. Unde facile patet, quam frequenti usu haec prima rei militaris elementa fuerint trita.

Emendandum in Aeliano pro μετ' αὐτοὺς ὄπισθεν — μ. αὐτόν, quod ipsum s. v. ἐπιστάτης excerptum servavit. Apud Arrianum loco parallelo μετὰ τούτων Blancardi demum incuria invexit pro τοῦτον, quod habet Schefferus.

Ael. V. = Arr. c. 10 et 11 in. S. p. 20 sq. B. χρὴ — συντεταγμένος. Paene ad verbum concinunt, nisi quod Arrianus Xenophontis locum ex Anab. IV, 3, 27 affert.

Emendanda in Arriano: ὅτε πρῶτον] ἅτε. — μεῖον καὶ πάντως τε τῷ ἡμίσει] Non recte vertit Schefferus: quod vero minus quid quam totum dimidium sit. Hoc dici debebat: μεῖόν τι παντὸς τοῦ ἡμίσεος. Potius μεῖον πάντως τε καὶ τὸ μεῖστον τῷ ἡμίσει scripsit, h. e. enomotiam vero cum omnino tum minimum dimidia parte minorem esse locho etc. — οὐ τοὶ φαυλότατα] οὐ τὰ φ. —
Emendandum in Aeliano: ὑπὸ λοχαγῷ] ἐπὶ λ.

Ael. VI. = Arr. c. 11 S. p. 23 B. Συλλοχισμὸς — καλεῖται.

Ael. VII. = Arr. c. 12 et 13 S. p. 23—27 B. τὸ δὲ σύμπαν — ἔσεσθαι. Ad verbum fere consentiunt, nisi quod Arrianus accuratius de varianda pro loci natura levis armaturae positione agit (vid. infra), Aelianus contra

inepte levem armaturam post graviter armatos, equites post levem armaturam poni monet ita, quasi haec collocatio constans esset, quam publicis tantum copiarum ostentationibus convenire patet.

Emendanda in Arriano: *καὶ στόμα δὲ οἱ ἄλλοι*] Dele *οἱ*. — *τοῖς πρωτοστάταις ἢ τοῖς ἐπιστάταις*] *καὶ τ. ἐ.* Idem vitium in Aeliano. — *εὐώνυμον μέρος*] *κέρας* hic quidem, ut apud Aelianum. — *ἵνα δὲ ὅπου*] *δέ που*. — *αὐτὴν ὠφέλειαν*] Schefferus *αὖθις* conjecit. Arrianus *αὖ τὴν ὠ* scripsit. — Quae paullo post sequuntur, statim emendatius describam: *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλῃ χώρᾳ ἤδη οἱ* (vulgo om.) *ψιλοὶ ἐτάχθησάν ποτε, ὡς ἤ* (vulgo *ἐτάχθησαν ὁπότε, οὕτω δὲ οἱ*) *ἐπὶ κέρως ἑκατέρου ἤ, εἰ πρόβλημα εἴη τοῦ ἑτέρου κέρως ποταμὸς ἢ τάφρος ἢ θάλασσα, ἐπὶ τοῦ ἑτέρου μόνου ἐν ὑπερδεξίῳ* (vulgo *μὲν ὑπερδεξίως*) *τοῦ χωρίου* etc. — *ὅπως ἄν*] *ὅπου ἄν*.

Ael. VIII. = Arr. c. 14 S. p. 27 sq. B. — *τὸ μὲν οὖν* — *δεήσει*. Prorsus utrique convenit de numerorum illorum canone, secundum quem justa phalanx constare jubetur ex 16,384, levis armatura ex 8192, equitatus ex 4096 viris. Qui numeri perridiculum est quod cum illis distributionum figmentis, de quibus statim videbimus, tamquam certum constansque Graecorum et Macedonum institutum in recentiorum libros, ut nuperrime etiam in Rückerti illam compilationem p. 2—5, transierunt. Atqui in utroque libello res ita tractatur, ut numeros illos ab iis, qui artis praecepta traderent, commoditatis et exempli gratia excogitatos esse clarissime appareat. Huc enim et Arriani illud pertinet: *ὁποία ἐστὶν ἡ — τάξις εἰ τύχοι οὖσα ὁπλιτική*, et quod etiam Aelianus dicit: *ὅθεν οἱ πλείους τῶν τακτικὰ συγγραψάντων — τὴν τῶν ὁπλιτῶν φάλαγγα ἐποίησαν*, itemque, postquam ceteros numeros addidit: *τύπου οὖν καὶ ὑπογραφῆς ἕνεκα ὁ τοιοῦτος ἀριθμὸς ἐγκρίνεται*.

Emendanda in Arriano: *ὅπως συντάξει*] post *ὅπως* adde *δέ*. — *ἐπασκητέον*] *ἐπισκοπητέον*. — *ὅσας πτύξεις*] *πάσας π*.

Ael. IX. = Arr. c. 14 extr. 15 S. p. 28—32 B. *αὐτίκα — λειπόντων*. Etiam in his phalangis distributionibus prorsus ambo consentiunt, nisi quod Arrianus addit, taxiarcham interdum etiam hecatontarcham dictum esse, et quod quini illi extraordinarii, qui singulis syntagmatis adduntur, apud Arrianum *ἐπίλεκτοι*, apud Aelianum *ἔκτακτοι* leguntur, qua voce infra Ael. c. 16. Arr. c. 22. p. 40 uterque usi sunt. Omnem autem hanc partitionem non constanter ubique in usu fuisse, sed tantum docendi gratia a scriptoribus positam esse, iterum Arriani verba docent p. 28 *ἐπεὶ* (sic!) *τῷ λόχῳ — ὑπεθέμεθα*, et p. 31: *ὅντινα τὸν πάντα ἀριθμὸν τῇ πεζικῇ τάξει ὑπεθέμεθα, καὶ εἶεν ἐν τούτῳ κέρατα μὲν δύο* etc.

Emendanda in Arriano: προκειται] πρόσκειται. — οἱ μέν γε δύο] οἱ μὲν γὰρ δύο. — γίνεταί τι σύνταγμα] γίνεται τὸ τάγμα. Ipsum vocabulum σύνταγμα addito certe δέ ante λόχων μὲν ἑκκαίδεκα excidit.

Ael. XI. = Arr. c. 16 et 17 S. p. 32 sq. B. De eadem re, h. e. de variis phalangis intervallis, sed diverso modo agunt, quo de discrimine postea dicetur.

In Arriano lacuna est initio ita explenda: τάττεται δὲ ἡ φάλαγξ ἐπὶ μῆκος μέν, ὅπου ἀραιοτέραν χρὴ τετάχθαι, εἰ ἥ τε χώρα παρέχοι καὶ ὠφελιμώτερον εἴη, ἐπὶ βάθος δέ, ὅπου δεῖ πυκνοτέραν εἶναι, εἰ αὐτῇ (vulgo tantum legitur — εἴη. Ὅπου δὲ πυκνοτέρα εἴη, αὐτῇ) τῇ πυκνότητι καὶ τῇ ῥώμῃ τοὺς πολεμίους ἐξῶσαι δέοι. — Paullo post scribendum: ἐπειδὰν εἰς τοσόνδε (vulgo τοσὸν δὲ) πυκνώσῃ (vulgo πυκνώσην) τὴν φάλαγγα, ὡς διὰ τὴν συνέχειαν μηδὲ (vulgo μὴ δὲ) κλίσιν — ἔτ' ἐγχωρεῖν τὴν τάξιν. Ex postremis verbis patet apud Aelianum pro ὥστε ἐπιδέχεσθαι μεταβολήν scribendum esse ἔτι δέχεσθαι μ.

Ael. XIII. = Arr. c. 18 S. p. 33—35 B. ἀγαθὸν — τακτέον. Eadem fere apud utrumque leguntur, etiam illa phalangis cum ferro (σίδηρος Arr.) sive gladio (μάχαιρα Ael.) comparatio.

In Arriano ἡ μέν γε τομὴ αὐτὴ pro αὐτῷ, in Aeliano βάρους πρόσθεσιν pro πρόθεσιν scribendum est.

Ael. XIV. = Arr. c. 19 et 20 S. p. 35—38 B. Τοιαύτη — παρέχεται. Nota illa de sarissarum longitudine et usu doctrina, quae iisdem fere verbis et apud Polybium jam legitur XVIII, 12—13, 4, et in Leonem (VI, 39) atque in Constantinum (p. 1229) transiit, ab utroque similiter exponitur, ut facile quam vulgata haec fuerint appareat. At vero gravis hic oritur de vera sarissarum longitudine quaestio. Et recentiores quidem Polybii et Aeliani et Byzantinorum (cfr. praeter l. c. Leon. V. 3. Constant. p. 1212) unanima testimonia secuti, quibuscum etiam Polyaenus II, 29, 2 facit, sedecim cubitorum longitudinem praelongis Macedonum hastis (Liv. XXXVIII, 7) adscribere non dubitarunt. Ab his omnibus discedit Arrianus h. l., qui constanter pedes pro cubitis et quidem quater (πόδας ἐπεῖχεν ἑκκαίδεκα — ποσὶ δυσί — ἐς δέκα πόδας — πόδας ὀκτώ —) nominat. Jam si rei naturam spectamus, sedecim cubitorum, h. e. viginti quatuor pedum, hastas nullo modo ita fabricari posse, ut habiles et ad usum idoneae existant, Ruestovius in nostro libro demonstravit. Neque aut Germanorum aut Helvetiorum hastati, quos nullis clipeis sed longissimis hastis constat usos esse, earum longitudinem supra XVII pedes extenderunt. Nec eos quidem, qui istam doctrinam tradiderunt, quam incredibilis esset latuit. Dum enim Arrianus constanter

sedecim pedum longitudinem in computando retinet itaque — cum quatuor pedes manibus sufficiant — duodenos ante singula corpora pedes prominuisse, primos vero ordines senis sarissis, quarum altera alteram binis pedibus superaverit, munitos fuisse pronuntiat, Polybius l. c. 12, 2 et qui eum ad verbum paene exscripsit Aelianus haec tradunt: *τὸ δὲ τῶν σαρισσῶν μέγεθός ἐστι κατὰ μὲν τὴν ἐξ ἀρχῆς ὑπόθεσιν ἑκκαίδεκα πηχῶν, κατὰ δὲ τὴν ἁρμογὴν τὴν πρὸς τὴν ἀλήθειαν* (*κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν* tantum Aelianus) *δεκατεσσάρων.* Sed quae deinde sequuntur, diverso modo referunt. Polybius quidem quatuor cubitis inter manus relictis denos hostibus obverti dicit, ita ut protostatae non senorum sed quinorum ordinum hastis firmentur. Aelianus contra, qui haud dubie Polybii et Arriani testimonia conjungere studuit, ut senos in impetum implicaret ordines, non quatuor, sed duos cubitos manibus assignat, ceteris duodecim projectis. Se autem praecepti sui non satis certum esse prodit iis, quae statim sequuntur: *διὸ καὶ καθ' ἕκαστον τῶν ἐν τῷ πρώτῳ ζυγῷ τεταγμένων σάρισσαι ε ἢ καὶ ς' προβεβλημέναι* etc. Apud Byzantinos vero, qui diversa miscere solent, ne minoris quidem sarissarum longitudinis obscura quaedam memoria deest. Ita enim Leo VI, 38, ubi de gravi Macedonum loquitur armatura: *ἦν δὲ καὶ κοντάριον οὐ μικρότερον πηχῶν η'. τὸ δὲ μακρότερον μέχρι τοῦ δύνασθαι ἄνδρα κρατοῦντα κινεῖν αὐτὸ εὐκόλως*, quae paullulum mutata hoc modo transscripsit Constant. p. 1229: *εἶχον δὲ καὶ κοντάρια οὐ μικρότερα παρὰ τοὺς ὀκτὼ πήχεις. τὸ δὲ μακρότερον κοντάριον ἦν, ὅσον δύναται ἀνὴρ κρατεῖν καὶ κινεῖν εὐκόλως αὐτό.* Et eadem res ab interpolatore in Aelianum XII illata est: *δόρυ δὲ μὴ ἔλαττον ὀκταπήχεος. τὸ δὲ μήκιστον μέχρι* (vulgo *μετὰ*) *τοῦ δύνασθαι ἄνδρα κρατοῦντα χρῆσθαι εὐμαρῶς.* Ita cum ad gravissimum illud argumentum ex re ipsa petitum et haec vestigia accedant et diserta Arriani auctoritas, sarissis summam dicemus longitudinis normam fuisse sedecim pedum, non cubitorum, nec illam tamen religiose semper et ubique servatam esse.

Unum restat, qui factum sit, ut artis scriptores tam monstrosas effingerent inutilesque hastas. Satis quidem erat ad confusionem haud raram *ποδῶν* et *πηχῶν* provocasse. Sed commodius etiam et probabilius quiddam responderi potest. Dicit Arrianus: *ἀνὴρ γὰρ ὁπλίτης εἱστήκει αὐτοῖς κατὰ πύκνωσιν ἐν δύο πήχεσι μάλιστα*, quod idem sed aliis verbis refert Polyb. l. c. *ὁ μὲν ἀνὴρ ἵσταται σὺν τοῖς ὅπλοις ἐν τρισὶ ποσὶ κατὰ τὰς ἐναγωνίους πυκνώσεις;* utrumque conjunxit Aelianus scribendo: *ὁ γὰρ ἀνὴρ*

ἵστατο σὺν τοῖς ὅπλοις κατὰ τὰς ἐναγωνίους πυκνώσεις καὶ (i. e. adeo = μάλιστα apud Arrianum) ἐν πήχεσι δύο; et similibus verbis eadem res in Byzantinos transiit. Sed nemo omnium uno Arriano excepto cogitavit duorum cubitorum sive trium pedum intervallum tantum de parastatis, nec vero de protostatis et epistatis intelligendum esse, quibus ipsis rite condensatis minus etiam spatium sufficere cum res ususque docet, tum diserte monuit Arrianus: οἱ δ' ἐν τῷ β' ζυγῷ ὑποβεβηκότες ἐκείνων ποσὶ δυσὶ τὴν σάρισσαν etc. Jam cum utrisque spatiis in unum confusis sarissarum sedecim tantum pedes longarum calculus non quadraret, homines umbratici, qui fortasse ipsi nunquam hastam vibrare didicissent, pro pedibus cubitos substituerunt, non cogitantes, vel Homerum Hectori heroum suis aequalibus — οἷοι νῦν βροτοί εἰσι — robustiorum robustissimo tantum δόρυ ἐνδεκάπηχυ dedisse! Nec Polybii auctoritas, quam quis praetentet, nos moverit; sed de ea re nunc exponere longum est. Hic quidem haec sufficiant; alia ex hoc capite postea afferemus.

Emendanda in Arriano: ταύτη τοι ἡ Μακεδονικὴ] τοιαύτη ἡ Μ. — τέσσαρες τὴν χεῖρα] post τέσσαρες adde ἐς.

In Aeliano διάστημα τῆς προβολῆς legendum, ut apud Polybium; vulgo προσβολῆς.

Ael. XV. = Arr. c. 21 S. p. 38 sq. B. τούς γε μὴν — ἐνενήκοντα. Accuratius et melius Arrianus docet levem armaturam pro tempore et loco modo hic modo illic collocandam esse, dum Aelianus singulis hoplitarum lochis leviter armatorum lochos nunc quidem postponi debere dicit, aciem haud dubie respiciens speciei et pompae gratia, non ad veri belli usum instructam. Tum eundem quidem cum Aeliano memorat numerum Arrianus, sed rursus eum tantum ad rei commoditatem confictum esse diserte indicat his verbis: — ἡμίσεας τοὺς ψιλούς φαμεν χρῆναι ἔχειν, εἰ σύμμετροι ἔσονται πρὸς τὸ ἔργον.

Emendanda in Arriano: τούς τε μὴν] τούς γε μ. — πρὸς τούς τινας] πρὸς οὕς τινας.

Ael. XVI. = Arr. c. 22 S. p. 39—41 B. ὀνόματα — συστρεμματάρχαι. Prorsus eadem et iisdem fere verbis de levis armaturae partitione disseruntur. Unum est discrimen, quod Arrianus quatuor tantum singulis centuriis ectactos adtribuit omittens uragum, quo addito Aelianus quinque ut apud hoplitas efficit. Sed hic quoque ille ex rei natura, hic ex mera doctrina praecepit, cum in leviter armatis passim pugnantibus nullae sint illi urago partes.

Ael. XVII. = Arr. c. 23 S. p. 41 sq. B. ὠφέλιμοι — καταστῆσαι. Prolixius et accuratius levis armaturae usum indicat Arrianus.

Emendanda in **Arriano**: *ἀπελάσαι*] non male margo libri Bigotiani (qui viri cujusdam docti conjecturas tenet) *πελάσαι*. Sed malim *ἐπελάσαι*. — Ultimum membrum ita scribendum et interpungendum: *ἑνί τε λόγῳ καὶ προαγωνίζεσθαι τῶν πεζῶν ἀγαθοί, καὶ συναγωνίζεσθαι δὲ* (vulgo post *ἀγαθοί* ponitur) *ὠφέλιμοι, καὶ ἐπιμαχόμενοι ἱκανοὶ τελέαν τὴν ἧτταν τοῖς πρὸς τῶν πεζῶν τραπεῖσι βαρβάροις* (vulgo *τῆς πρὸς τοὺς βαρβάρους τῶν πεζῶν τραπεῖσι* legitur; *τοῖς* jam margo Bigot.) *καταστῆσαι*. Ut apud Latinos **milites**, ita hic bis et supra c. 15 S. p. 39 B. *πεζοί* sunt hoplitae.

Ael. XVIII. = Arr. c. 24 sq. S. p. 42—49 B. *τῶν δὲ δὴ ἱππέων — ἵππους*. Eadem fere, sed accuratius Arrianus, de variis equitum aciebus exponunt. Sed Arrianus iterum docet omnes acies per se bonas esse, sed aliis locis alias esse praeferendas; Aelianus contra, ut res oculis subjiciatur, delineationes promittit.

Emendanda in **Arriano**: *ἀλλήλων ὠφελιμωτέραν*] *ἄλλη ἄλλην ὠ.* — *τεταμμένοι*] *τεταγμένοι*. — *προημένη*] *προηγμένη*, ut supra *ξυνηγμέναι*. — *ἀλλ' αὐτῇ τε*] *ἀλλ' αὐτῇ δέ*. — *ἐκεῖνα τὰ τοὺς ὤμους*] *ἐκεῖ κατὰ τοὺς ὤ.*

Ael. XIX. = Arr. c. 26 S. p. 49—51 B. *ὁ δὲ ῥόμβος — ἀξύμφορος*. De rhombi et emboli formatione consentiunt, sed varia ejus formationis genera enumerat Aelianus, de quibus silet Arrianus, qui contra docet, quando equites in oblongam aciem et in unius tantum equi profunditatem collocari debeant, quae praecepta in Aeliano desunt.

Emendanda in **Arriano**: *ἔχει μέν. εἰλάρχης πρῶτος*] *ἔχει· ἰλάρχης μὲν πρ.* — *ὅπω ὁ εἰλάρχης*] *ὅτῳ ὁ ἰλάρχης*. — *ἢ που*] *ἢ εἴ που*.

Ael. XX. = Arr. c. 27 S. p. 51 sq. B. *εἰ τοίνυν — τετρακισχιλίων*. Initio quaedam apud Aelianum adjiciuntur, de quibus postea videbimus. Tum consentienter ambo de equitum partitione exponunt; sed rursus Arrianus hunc quoque numerum — 4096 equitum — tantum docendi gratia fingi diserte indicat his verbis: *εἰ τοίνυν ἀριθμὸς εἴη τῶν ἱππέων, ἐς ὅσον ὑπεθέμεθα ἀποδέοντα τῶν τε ὁπλιτῶν καὶ τῶν ψιλῶν* (vulgo *ἀποδεόντων τε ὁπλ. καὶ τούτων ψ.*) etc. Etiam singularum partium denominationes ex antiquioribus haustas esse verbis *αὐτοῖς ὠνομάζετο* indicavit. Tum, quod addit hipparchiam 512 equitum esse, *ἣν τινα Ῥωμαῖοι εἴλην* (sic!) *καλοῦσιν*, recte de **alis quingenariis** jam Schefferus intellexit. Et haud scio an ipsum illud *ἄλην* scripserit.

Quae Aelianus c. XXII et XXIII de curribus exponit cum Arriano c. 28 S. p. 52 sq. B. componendi postea locus erit.

Ael. XXIV. = Arr. c. 29 S. p. 53 sq. B. *νυνὶ δὲ — ὑποτάξεις*. Ad verbum fere consentiunt. Item **Ael. XXV—XXXI. = Arr. c. 30—36 S.**

p. 53—64 B. *κλίσις* — *ἐπικάμπιον*, nisi quod in Aeliano multo plura leguntur, quae in Arriano partim excidisse, partim per duplicem interpolationem addita videntur. Sed de his postea.

Emendanda in Arriano: c. 30. p. 54. *ἐς δεξιά*] *ἐς τὰ δεξιά*. — c. 33. p. 59. *τάττονται. ὁπότ' ἂν*] *τάττονται, ἢ ὁπότ' ἂν*.

Ael. XXXV. = Arr. c. 37 S. p. 64 sq. B. *χρὴ* — *ὠφέλιμος*. In hoc de signis loco prorsus utrique convenit.

Emendanda in Arriano: *ἄπορά ἐστιν οἷ γίνεται*] *ἄπορα ἔστιν ἃ γ.* — *ἀγαθὸν ὠφέλιμος*] *μᾶλλον ὠφ.*

Ael. XXXVI et XXXVII. = Arr. c. 38 et 39 in. S. p. 65 sq. B. *ὑπὲρ* — *τάξεων*. Etiam haec concordant, nisi quod in Aeliano quaedam per interpolationem illata sunt, Arrianus vero diserte indicat non solum in paragoge, sed etiam in epagoge exercitum aut unius, aut duorum, aut trium, aut quatuor laterum agmine proficisci posse.

Ael. XXXIX et LX. = Arr. c. 39 in. S. p. 67 sq. B. *ἔτι δὲ* — *παραγωγαῖς*. Hic quoque quae in Arriano leguntur, cum Aelianeis fere conveniunt, sed et in illo plura excidisse videntur, et his aliena admixta sunt. Magis etiam utrumque observare licet in

Ael. XLI et XLII. = Arr. c. 39 fin. S. p. 68 B. *ἑτερόστομος* — *φάλαγγος*. Vid. infra, ubi itidem de Aeliani cc. XLII—XLVII expositum, quorum capitum ne vestigium quidem in Arrianeis deprehenditur, nisi quod c. 40 in. S. p. 68 sq. B. *ὅταν* — *καλεῖται* quaedam de embolo et coelembolo leguntur, quae ab Aeliani c. XLVII non longe absunt, unde etiam apparet p. 69 pro *ἀντίστομος* potius *ἢ ἀμφίστομος* legendum esse.

Ael. XLVIII. = Arr. c. 40 fin. S. p. 69 B. *πλαίσιον* — *καλεῖ*. Remotis interpolationibus Aelianus, in quo *πλαίσιον* pro *πλάγιον* scribendum est, cum Arriano consentit.

Ael. XLIX—LIII. = Arr. c. 41—45 S. p. 69—74 B. *ὃ καὶ* — *ἀποκατάστησον*. Haec ad verbum paene in utroque congruunt, nisi quod hic illic paullo accuratius rem tractat Arrianus. Et hic quidem utrumque libellum finiri epilogi docent, de quibus postea dicetur.

Emendanda in Arriano: c. 41 S. p. 71 B. *ἐπεκτείνοντα. Οὐκ οἴονται δὲ τῶν σκευοφόρων*] *ἐπεκτ. οὐχ οἷόν τε. Αἱ δὲ τ. σκ.* — c. 43 S. ibid. *εἰ *σα**] *εἰ ἃ*.

In Aeliano L. extr. lacuna est hoc modo explenda: *πρὸ μὲν τῆς φάλαγγος, ἐὰν* [*ἐκ τῆς πολεμίας ἀπάγῃς, ὄπισθεν δὲ τῆς φάλαγγος, ἐὰν*] *εἰς πολεμίαν* etc.

Hunc igitur tantum tamque accuratum consensum qui comparatis

utriusque libelli verbis contemplatus fuerit, non dubitabit, quin paene ad verbum aut alter ex altero hauserit, aut uterque communem fontem expresserit. Utrumcunque statueris, res eodem redit, ut hos libellos unius ejusdemque libri diversas recensiones sive editiones esse dicamus. Quarum editionum indolem peculiarem si spectamus, Arrianeam dicemus quamvis mutilam et lacunosam, tamen cum in multis accuratius scriptam esse, tum omnino virum rei militaris gnarum sapere; Aelianeam vero, plenam illam atque integram, hominis videri, qui ab ipso usu alienus domi suae praecepta ratione tantum excogitata prodiderit. Huc cum alia pertinent, tum quae ad c. VII. XIV. XV. XVI. XVIII. XX. adnotata sunt. Clarius idem elucebit ex additamentis, quae apud Aelianum leguntur, ad quae antequam transeo, insigne praemittere placet exemplum, quam male Aelianus aut Arrianum aut communem fontem intellexerit. Arrianus c. 20 S. p. 38 B., ubi de phalange instituenda agit, hoc dat praeceptum: *τους δὲ οὐραγοὺς οὐ κατ' ἀλκὴν ὡς κατὰ σύνεσιν καὶ ἐμπειρίαν τῶν πολεμικῶν ἐπιλέκτους χρὴ εἶναι, ὡς ἐπιμελεῖσθαι τοῦ στοιχεῖν τὰ ζυγὰ καὶ τοῖς ἐθελοκακοῦσι μὴ ἐφιέναι ἀποδιδράσκειν ἔξω τῆς τάξεως· ὅπου δὲ* (vulgo *τε*) *συνασπισμοῦ δεήσειεν, οὗτός ἐστιν ὁ μάλιστα ἐς πυκνότητα τοὺς πρὸ ἑαυτοῦ τεταγμένους ξυνάγων, ὃς τὴν πᾶσαν ἰσχὺν τῷ συντάγματι τούτῳ παρέχεται.* Singulorum lochorum uragos dici quivis videt; sed non vidit Aelianus XIV, qui male intellectis vocabulis *ἐπιλέκτους* et *τῷ συντάγματι τούτῳ* illud quidem ad quinos uniuscujusque syntagmatis epilectos sive ectactos retulit — vid. Ael. IX. = Arr. c. 15. —, totam rem vero hoc modo detorsit: *ὁ δὲ καθ' ἕκαστον σύνταγμα ἔκτακτος οὐραγὸς ἔστω συνετός, ὅλου τοῦ συντάγματος προνοούμενος, ἵνα στοιχῶσι καὶ ζυγῶσιν* (habes iterum male intellectum illud Arriani: *στοιχεῖν τὰ ζυγά!*) *ἀλλήλοις, τούς τε ἀναδυομένους διὰ δειλίαν ἢ δι' ἄλλην τινὰ αἰτίαν κελεύων* (hoc ipsum verbum, quoniam non corpore ipso ante stantes urgere potest, pro Arrianeo *μὴ ἐφιέναι ἀποδιδράσκειν* consulto posuit) *εἰς τάξιν καθεστάναι, ἔν τε τοῖς συνασπισμοῖς, ἐάν τις χρεία γένηται, ἀναγκάσει* (vulgo *ἀναγκάσῃ*) *συνερείδειν τοὺς ἄνδρας ὅτι μάλιστα ἀλλήλοις. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ τὴν ἰσχὺν τῷ τάγματι παρεχόμενον, ἵνα μὴ μόνον ἐν τῷ μετώπῳ, ἀλλὰ καὶ ἐπ' οὐρᾶς τοῦ τάγματος κύριός τις ὑπάρχῃ τῶν προειρημένων ἕνεκεν αἰτιῶν.* Vides loquacis hominis verbis haud melius rem obscuratam illustrari.

Sed jam ad additamenta ipsa accedo. Eorum tria genera sunt. Primum genus Arrianeum brevitatis causa appellare licet: huc refero eos

locos, qui ad artem plene illustrandam necessarii et lacunas in Arrianeo opusculo obvias feliciter explere et omnino ejusdem cum illo atque cum Aelianeis parallelis indolis et coloris esse videntur.

Hujus generis sunt capitis I. initium; XXXII, ubi, quomodo vel in dextrum vel in sinistrum convertendi sint ordines, singulatim exponitur, quod ad illustrandum Aelian. XXV. = Arrian. c. 30 S. p. 54 sq. B. pertinet; XXXIII, ubi, quomodo alterum utrum cornu aut media acies condensanda sit, exponitur, quod ad diplasiasmum illustrandum pertinet, de quo vid. Ael. XXVIII et XXIX. = Arr. c. 34 sq. S. p. 60—63 B.; XXXVIII, ubi phalanx *ἀντίστομος* explicatur; cum sequente capite XXXIX = Arr. c. 39 S. p. 67 B. (*ἔτι δὲ — εἶναι*) *ἀμφίστομος* demonstretur, cui capiti bonum subesse fontem vel illud ostendit, quod eam aciem aptam dicit adversus barbaros Istri accolas, qui ob alternantem binorum equorum usum *ἄμφιπποι* dicantur; XL. = Arr. ibid. *διφαλαγγίᾳ — παραγωγαῖς*, ubi multo accuratior est Aelianea descriptio, ex qua patet in Arriano vel post *μερῶν* vel post *εὐωνύμῳ* addendum esse *ἐντὸς ἔχει*; L in. leptysmi sive attenuationis definitio *λεπτυσμὸς — γίνονται.*

Alterum additamentorum genus Aelianeum dicere placet, quoniam ex illo studio originem traxit, quod supra paucis demonstravi; quo studio hujus recensionis auctor praecepta quaedam subtilia aut ipse excogitavit aut ab aliis desumpsit, quae tantum umbratilem meditationem redolent, nunquam in pulverem et solem prodierunt. Nec temere talem auctoris indolem a nobis statui et prooemium docet, quo Romanae militiae se expertem dicit, et primi capitis locus, quem emendatius describo: *ὅπερ οὖν αὐτοὶ πρῶτον* (vulgo *πρῶτοι*) *ἐφιέμενοι τῆς γνώσεως τοῦ πράγματος ἐπάθομεν, μήτε τοὺς ὑφηγησομένους εὑρίσκοντες* (sunt viri militares, qui rem usu et factis exercitationibus demonstrent, et opponuntur scriptoribus), *μήτε ἀποχρώντως πρὸς παράδοσιν συμβάλλοντες* (vulgo *ἀποβάλλοντες* aut *ἐπιβάλλοντες*) *τὰς τῶν πρὸ ἡμῶν ἐκδόσεις* (en, vides diserte priores non libros, sed editiones sive recensiones innui!) *ἔχειν, πειρασόμεθα καθ' ὅσον οἷόν τέ ἐστι μὴ ἄλλους τὸ αὐτὸ παθεῖν ποιῆσαι. ὁσάκις δ' ἂν μὴ ὁ λόγος ἐξανύσῃ τῇ νοήσει σαφῶς* (vulgo *ἐν τοῖς πῶς*, pro quo Gesnerus *ἀρκούντως* conjecit) *παραστῆσαι τὰ* (vulgo *τῇ*, quod emendavit Gesnerus) *τῶν θεωρημάτων, ἐπίκουρον παραλήψομαι ἐπὶ καταγραφῆς τὴν τῶν χρημάτων διατύπωσιν, τὴν ὄψιν τῇ νοήσει συλλήπτορα παρασχών.* Picturas, quae hic promittuntur, non esse easdem cum iis, quae in Robortelli atque Gesneri editionibus conspi-

ciuntur, vel indoles earum docet; eas a Robortello delineatas esse ex ejusdem dedicatione ad Marium Venetum data intelligitur.

Ad Aelianea igitur additamenta, quae etiam theoretica somnia appellare licet, refero c. X, quo diversorum ordinum praefecti secundum fortitudinis, quae cuique insit, gradum eligi jubentur mathematicis, si Diis placet, rationibus subductis; prorsus eodem modo, quo hodie viri quidam, qui egregie sapere sibi videntur, numeris quibusdam signisque singulorum hominum singulas ingenii proprietates plene recteque describi putant!

Sequitur c. XI. de tribus intervallorum generibus, quorum primo quatuor, alteri (*πυκνώσει*) duo, tertio (*συνασπισμῷ*) unum cubitum adsignat. Prioribus mensuris, quae et rei naturae et doctorum praeceptis conveniunt — vid. supra ad Ael. XIV. —, tertiam de suo addidit, quam ipso usu respui periti sciunt. Nam ne nostrorum quidem temporum pedites, nedum veteres hoplitae clipeis longisque hastis onerati, ita condensari possunt, ut parastatarum singulorum spatia tantum singulorum sint cubitorum. Imo iis ab antiquis tacticis etiam in synaspismo ternos pedes, h. e. unum et dimidium cubitum, adsignatos esse cum ex locis supra explicatis, tum ex Polyb. XII, 21, 1–3 patet. Sed nec unde doctrinam suam hauserit homo umbraticus, nos latet: scilicet ex iis, quae alicubi legerat de protostatarum et epistatarum intervallis in condensatione ad duos usque pedes minuendis — vid. supra l. c. —, unde quam facile erat sedenti in triclinio milites ficticios etiam parastatas in singulorum cubitorum, h. e. unius et dimidiati pedis, comprimere intervalla! Nec minus meram sapit doctrinam, quod in ejusdem capitis fine normalem suam 16384 militum sive 1024 lochorum phalangem prima positura decem stadia nonaginta sex cubitos, altera quinque stadia quadraginta octo cubitos, tertia stadia duo et dimidium, cubitos viginti quatuor obtinere dicit. Quasi vero ejusmodi phalanx una fuisset eaque sine ullis vel minimis intervallis continua multitudo! Hic quoque, quae Polybius XII, 19, 7–10 ad redarguendam pugnae Issicae descriptionem a Callisthene propositam suo jure supponit, male in suam rem detorsit.

Porro huc pertinet, quod c. XIV. de nonnullis refert sarissarum longitudinem magis etiam augentibus: *ἔνιοι δὲ τὰ τῶν ὀπίσω τεταγμένων ὁπλιτῶν δόρατα μακρότερα τῶν ἔμπροσθεν κατεσκεύασαν, ἵνα καὶ οἱ μέχρι τρίτου ζυγοῦ ἢ τετάρτου τεταγμένοι τὰς αἰχμὰς ἐξ ἴσου τοῖς ἀντιπαρατεταγμένοις ἐπιφέρωσιν.* Hoc egregio igitur invento non sedecim tantum, sed octodecim

et viginti cubitorum hastae miseris militibus ingerebantur! Credat Judaeus Apella! Mera sunt hominum sedentariorum somnia, qui nunquam quanti ponderis tantum conti monstrum futurum esset cogitarunt. Sed his rebus noster delectatur.

Quantum idem in ordinatis equitum decursionibus ponat momentum, c. XVIII, ubi ejus doctrinae initium est, his verbis declaravit: *τὰς δὲ τῶν ἱππέων τάξεις ἤτοι τετραγώνους ἢ ἑτερομήκεις ἢ ῥομβοειδεῖς ἢ ἐμβολοειδεῖς οἱ πρὸ ἡμῶν συνέταξαν· οὐδεὶς δέ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, σαφῶς ἡμῖν παρέδωκε τὸ βούλημα. διόπερ ἡμεῖς καὶ ἐπὶ καταγραφῆς τὰ σχήματα τάξομεν, ὅπως εὐσύνοπτα γένηται.* Hinc c. XIX, postquam verbis *δοκεῖ — παρέχηται* rhombi formationem in universum consentienter fere cum Arriano, sed brevius indicavit, sequente majore capitis parte de quatuor rhombi generibus prolixe exponit, quorum primum genus est, quo et ordines et series, alterum, quo series tantum, tertium, quo ordines tantum, quartum, quo nec series nec ordines servantur ab equitibus. Hunc merum lusum ne primo quidem universali de rhombis formandis praecepto convenire patet.

C. XX in. quae de equitum turmis modo hic modo illic collocandis breviter admonet, *τάσσονται — ἐτάχθησαν*, ea ex Arriani de levi armatura praeceptis c. 21 S. p. 38 B. *τούς γε μὴν — ὠφελοῦσιν* petita sunt. Tum quae sequuntur de prima turma ita ponenda, ut primus ordo quindecim equitum sit, postremus binis unicuique equitibus demptis unius equitis, ea cum omnino tum maxime hic prorsus non intelligo, ut hic quidem interpolationem irrepsisse, nostrum vero ceteris omissis tantum scripsisse arbitrer: *καὶ ἡ μὲν ἴλη ἱππέων ἔστω ξδ'· ἔσονται δὲ αἱ πᾶσαι ἶλαι ξδ'.*

Notabile est c. XXI, ubi satis inutiliter turmarum doctrinae a se jam explicatae epilogum addit de variis earum formis quotidiano usu tentandis.

Maxime autem valent ad perspiciendum Aelianeae et Arrianeae recensionis discrimen illius capita XXII et XXIII comparata cum hujus c. 28 S. p. 52 sq. B. Hic enim cum dicit: *τὸ δὲ τῶν ἁρμάτων καὶ ἐλεφάντων τάς τε τάξεις καὶ τὰ ὀνόματα τῶν τάξεων καὶ τὰς ἡγεμονίας καὶ τὰ τούτων αὖ ὀνόματα ἐπεξιέναι ματαίου πόνου εἶναί μοι ἔδοξεν, ὅτι ἐκλελειμμένας ἐκ παλαιοῦ ἤδη λέξειν ἔμελλον,* scienter quibusdam de antiquo curruum et elephantorum usu additis; Aelianus contra, quamquam idem, sed invitus confitetur: *περὶ δὲ τῆς τῶν ἁρμάτων συντάξεως καὶ τῶν ἐλεφάντων, εἰ καὶ τὴν χρῆσιν αὐτῶν σπανίζουσαν εὑρίσκομεν, ὅμως πρὸς τὸ τέλειον τῆς γραφῆς τὰς ὀνομασίας ὑποθήσομεν, αἷς κατεχρήσαντο οἱ πρὸ ἡμῶν,* tamen

XXII et XXIII. curruum et elephantorum exercitus quomodo appellatae fuerint singulae partes usque ad sexaginta quatuor curruum et elephantorum phalangem persequitur. Hic locus maxime docet, Aelianeae recensionis auctori ad amplificandum libellum alios etiam ad manum fuisse fontes. Hae quidem curruum et elephantorum denominationes quin ex Pyrrhi aut Alexandri libris militaribus desumptae sint, vix dubito.

Etiam quae XL (*γίνεται δὲ — διδόασι τὴν πάροδον*) et XLI (*δείκνυσι — νενευκός*) de equitum formationibus leguntur diphalangiae amphistomo et phalangi peristomo — quae quidem eadem esse videtur atque apud Arrianum c. 39 S. p. 68 B. *ἑτερόστομος* — opponendis, nostri auctoris esse videntur.

Sed quid dicam de quinque capitibus XLIII—XLVII, quibus satis importune praecepta de plinthio XLII et de plaesio XLVIII explicata interrumpuntur, quae arctissime inter se cohaerere cum res ipsa docet, tum Arrianus c. 40 S. p. 69 B. *πλαίσιον — καλεῖ*, dubius haereo. Exponuntur enim quinque illis capitibus binae acies sibi invicem oppositae, quae acies et superioribus jam sunt explicatae et omnino magis hominis scholastici inane acumen quam viri militaris usum prodere videntur: XLIII oviformis equitum acies, cui lunata opponi jubetur; sed illa nihil aliud est, nisi rhombus jam XVIII et XIX iisdem fere verbis descriptus; XLIV oblonga equitum acies, de qua certe Arrianus egit c. 26 S. p. 50 sq. B., cui obliqua peditum acies opponenda sit; XLV altera oviformis equitum acies, qua ordines tantum non series serventur, eadem igitur, de qua jam XIX cum tribus reliquis expositum est: ei optime adversari dicitur peditum acies *ἐπικάμπιος ἐμπροσθία*, quae in medio reducta cornua protendat; XLVI peditum acies *ἐπικάμπιος ὀπισθία*, sed quae prorsus eodem modo atque *ἐπικάμπιος ἐμπροσθία* describitur, cui acies vere rotunda (et propterea columnae comparata!) obvertatur; XLVII quadrata equitum acies, eadem iisdemque verbis explanata atque supra XVIII, cui peditum cuneus opponatur ternos viros in fronte habens. Hic quod Epaminondae artificium Leuctricum laudatur, sumptum est ex Arriano c. 16 S. p. 32 B.; quae tum sequuntur *γίνεται — στοιχείου* rursus conveniunt Arriano c. 40 S. p. 68 B. *ὅταν — καλεῖται.*

Haec omnia praecepta eo inter se simillima sunt, quod binae semper aciei formae tamquam adversariae componuntur. Et ejusdem coloris etiam XLVIII. initium est, *τοῦτο — ηὐτρεπισμένοι*, ubi contra plaesium sive oblongum laterculum *πεπλεγμένη* quaedam acies satis confuse descripta duci jubetur. Haec igitur omnia num Aelianeae recensionis auctori adscribam,

adhuc dubito. Nam praeterquam quod satis inepte, quae jam suo loco apte exposita erant, tamquam nova alieno loco intruduntur, bis nobis XLIII et XLV de oviformis equitum aciei inventore ineptiae incutiuntur, quae a turpi unius vocabuli corruptela originem duxerunt. Etenim supra apud utrumque legimus.

Arr. c. 24 S. p. 42 B.	Ael. XVIII.
τῇ μὲν δὴ ῥομβοειδεῖ τάξει τὸ πολὺ Θεσσαλοὶ ἐχρήσαντο, καὶ ειλεῶν (sic cod.; *Ἐιλεὼν* B), *ὡς λόγος, ὁ Θετταλὸς τὸ σχῆμα τοῦτο πρῶτος ἐξεῦρεν, ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, προεξευρημένῳ πολὺ* (vulgo *πολλῷ*) *χρησάμενος ἀπ' αὐτοῦ εὐδοκίμησεν.*	*ταῖς μὲν οὖν ῥομβοειδέσι δοκοῦσι Θεσσαλοὶ κεχρῆσθαι ἐν ἱππικῇ πολὺ δυνηθέντες, Ἰάσονός σφισι πρώτου τὸ σχῆμα τοῦτο ἐπινοήσαντος.*

Thessali nomen leviter corruptum apud Arrianum recte in Aeliano legitur (*Εἰλεὼν* = *Ἰλεών*, quemadmodum semper fere *εἴλη* apud hos, non *ἴλη* legitur; *ΙΑΕΩΝ* vero idem atque *ΙΑCΩΝ*), ex quo ipso patet neminem alium intelligendum esse nisi Pheraeorum illum tyrannum, quem strenue Macedonum regum militiae prolusisse vel ex paucis, quae supersunt, testimoniis liquide demonstrari potest. Sed jam vide, quid ex illa duplici ejusdem nominis scriptura effictum sit XLIII: *ταύτην πρῶτος Ἰλέων* (sic!) *εὗρεν ὁ Θεσσαλός, ὅθεν καὶ ἴλη ἐκ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ κέκληται, καὶ πρὸς αὐτὸ τὸ σχῆμα Θεσσαλοὺς πάντας ἐγύμνασεν*, et pejus etiam XLV: *περὶ ταύτης οὐδὲν πλέον ἔστιν εἰπεῖν ἢ ὅτι στοιχεῖ μέν, οὐ ζυγεῖ δέ· τὸ γὰρ χρειῶδες τοῦ σχήματος προλαβόντες εἰρήκαμεν, ὅτι εὗρε μὲν αὐτὴν Ἰλέων Θεσσαλός, ἐπήσκησε δὲ αὐτὴν Ἰάσων ὁ Μηδείας ἀνήρ!* Has nugas, quae a capitum illorum scriptore removeri non possunt, Aelianeae recensionis auctori adtribuere dubito. Itaque haud scio an omnia illa c. XLIII—XLVIII in. — *ηὐτρεπισμένοι* potius ad interpolationes referenda sint, quae sunt tertium additamentorum genus in Aelianeo libello conspicuorum. Has interpolationes, quae variae sunt indolis et originis, jam breviter indicare placet.

II extr. *τοσαῦται — ἐλεφάντων*: inepta et inutilis variarum armaturarum enumeratio.

XII totum caput. Quae hic de Macedonicae phalangis utcunque bonis ex fontibus referuntur armatura, repetita a Leone VI, 38 et Constant. p. 1228 sq., certe meliora edocere poterant eos, qui illi maximos clipeos adscribere solent.

XXV: verba *πρώτη στάσις — σύνταγμα ὁ περισπασμός* alteram continent cliseos, metabolae et perispasmi definitionem. Item verba *ἐπιστροφὴ*

δ' ἐστὶν — ἐπιστροφὴ γίνεται epistropham similiter explicant, atque tum verbis magis Arrianeis ἐπιστροφή ἐστιν — δηλώσομεν explicatur.

XXVIII: verba Μακεδὼν λέγεται — ἐπιφανεῖσι πολεμίοις, quae exeligmum Macedonicum, verba ὁ δὲ Λάκων — ἐπιφανεῖσι πολεμίοις, quae Laconicum demonstrant, tum quae de duplicationibus statim subjiciuntur ἰστέον ὅτι — ἀνδρῶν τόπον non possunt esse Aelianeae recensionis auctoris. Is propius Arrianeis sua admovit, quae haec tantum sunt: τοὺς δὲ τρόπους — ἀποδείξομεν. ὁ μὲν οὖν — ἵστανται. Λάκων δὲ αὖ etc. usque ad finem. De diplasiasmis XXIX plene exposuit.

XXXIV totum caput: rursus similia de Macedonico et Laconico exeligmo leguntur.

XXXVI: καλεῖται δὲ οὕτως — προσβολήν. Quae hic leguntur, partim, ut illa ἔχει δὲ τὸ τάγμα δύο λόχους ἀπὸ δέκα ἀνδρῶν, aliunde excerpta prorsus inextricabilia, partim, ut de orthia epagoga et coëlembolo doctrina, certe non hujus loci sunt.

XXXVII: ἀμφότεραι δὲ — προσβολάς. Ne haec quidem, satis obscura — quid enim illa sibi volunt: δέκα μὲν γὰρ ἔχει τὸ στόμα, τρεῖς δὲ τὸ βάθος, τοῦτο δὲ τῆς μάχης ἐστὶ σχῆμα? —, huc pertinent.

XL: τὸ δὲ τοιοῦτον — σίδηρον. Haec quoque jam habuimus, Philippum ut cunei equestris inventorem XVIII, comparationem cum ferri acie institutam XIII.

XLII: ἔστι δὲ τοῦτο τὸ πλινθίον — ἡ διμοιρία, quasi plinthium ex uno locho formaretur!

XLVIII: ὁπλῖται — σφενδόναις. Hanc hoplitarum, peltastarum et levis armaturae definitionem recentissimis demum temporibus ex Byzantinorum illuvie huc translatam esse voces hybridae: λωρίκια, ἐπιλωρίκια, κασσίδας, demonstrant.

Etiam ridicula illa quadrati agminis figura, quae in fine opusculi conspicitur, ejusque ἐξήγησις (p. 603 ed. Gesner.) recentioribus temporibus tribuenda est.

Ex his, quae hucusque disputavimus, non solum hoc elucere puto, quod initio posui, libellos nostros unius ejusdemque operis diversas editiones esse, sed etiam hoc, Arrianeam editionem et antiquiorem et magis sinceram esse, Aelianeam contra et recentiorem et varii generis additamentis a primi auctoris ingenio alienis oneratam. Huc etiam pertinet, quod III

Aeneas et Polybius, XIX solus Polybius nominatim laudatur, quo ipso eum usum esse ad XI et XIV vidimus.

Restat, ut de utriusque libelli auctoribus dicamus. Certe neuter eorum Arrianus Nicomediensis fuit: id jam confidenter affirmare licet, praesertim cum prooemium legimus ab Aeliano praemissum. Sed id integrum describere placet:

Τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι τακτικὴν θεωρίαν ἀπὸ τῶν Ὁμήρου χρόνων τὴν ἀρχὴν λαβοῦσαν, αὐτόκρατορ Καῖσαρ υἱὲ θεοῦ Ἀδριανὲ σεβαστέ, πολλοὶ τῶν πρὸ ἡμῶν συνέγραψαν οὐκ ἔχοντες, ἣν ἡμεῖς ἐν τοῖς μαθήμασιν ἐπιστεύθημεν ἕξιν ἔχειν. Ἐμαυτὸν δὲ πείθων ἠβουλήθην ταύτην συντάξαι τὴν θεωρίαν, ὅτι τοῖς ἡμετέροις οἱ μεθ' ἡμᾶς πρὸ τῶν ἀρχαιοτέρων προσέξουσι συγγράμμασι. Τῆς δὲ παρὰ Ῥωμαίοις περὶ τὸ μέρος τοῦτο δυνάμεως καὶ ἐμπειρίας οὐκ ἔχων γνῶσιν (δεῖ γὰρ ὁμολογεῖν ἀληθῆ) ὄκνῳ κατειχόμην περὶ τὸ συγγράφειν καὶ παραδιδόναι τὸ μάθημα τοῦτο, ὡς ἀπημαυρωμένον καὶ πάλαι μηδὲν ἔτι χρήσιμον τῷ βίῳ μετὰ τὴν ἐφευρεθεῖσαν ὑφ' ὑμῶν διδασκαλίαν. Ἐπεὶ δὲ ἐπὶ τοῦ θεοῦ πατρός σου Νέρουας[1]) *παρὰ Φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν ἐν Φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα δόξαν ἐπενεγκαμένῳ περὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν, συμβαλών τε τἀνδρὶ*[2]) *εὗρον οὐκ ἐλάττονα σπουδὴν ἔχοντα εἰς τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι τεθεωρημένην μάθησιν, ἠρξάμην οὐκέτι περιφρονεῖν τῆς τῶν τακτικῶν συγγραφῆς, οὐκ ἂν σπουδάζεσθαι παρὰ Φροντίνῳ δοκῶν αὐτήν, εἴπερ τι χεῖρον ἐδόκει τῆς Ῥωμαϊκῆς διατάξεως περιέχειν αὐτήν. Πεποιηκὼς οὖν ποτε συγγράμματος διατύπωσιν, μήπω δὲ πρὸς ἔκδοσιν ἑτοίμην εἶναι* * [3]), *διὰ τὴν σὴν ἀνυπέρβλητον, αὐτόκρατορ, ἀνδρείαν τε καὶ ἐμπειρίαν, δι' ὧν πάντας ἁπλῶς τοὺς ποτε γενομένους κατὰ πόλεμον στρατηγοὺς ὑπερβάλλεις, παρωρμήθην τελεῖν τὴν πραγματείαν καλὴν σφόδρα καὶ τοῖς ἐσπουδακόσι περὶ ταύτην τὴν θεωρίαν παραγκωνίσασθαι δυναμένην τὰ τῶν ἀρχαίων Ἑλλήνων συντάγματα. σαφηνείας γὰρ ἕνεκεν διαβεβαιούμενος λέγω τοὺς ἐντευξομένους τῇδε τῇ συγγραφῇ ἔνθεν μᾶλλον, ἢ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων, στοιχειωθήσεσθαι διὰ τὸ κατὰ τάξιν ἕκαστα δεδηλῶσθαι. Οὐκ ἐθάρσησα μέντοι πέμψαι σοι τὸ σύγ-*

---

1) Ita cum Dederico, qui in annall. antiquit. Zimmermannianis a. 1839. Nro. 105—107. 134—136 plenissime de Frontino exposuit, l. c. p. 1078 sq. scripsi. Vulgo: *ἐπεὶ δὲ τῷ θεῷ πατρί σου Νέρουᾳ συμβαλών*, sed in codd. *Νέρουας* vel *Νέρβας* scribitur.

2) Vulgo om. *τε*.

3) Excidit participium, quale est *νομίζων*.

γραμμα τηλικούτων πολέμων στρατηγῷ, μή πως εὐτελέστερα φανῇ τὰ δι' ἡμᾶς ὑφηγούμενα· ἂν δὲ ταῖς ἐπινοίαις σου ταῦτα παραβάλῃς, ὡς Ἑλληνικὴν θεωρίαν καὶ γλαφυρὰν ἱστορίαν, ἐν ᾗ καὶ τοῦ Μακεδόνος Ἀλεξάνδρου τὴν ἐν ταῖς παρατάξεσιν ἐπιβολὴν θεωρήσεις, ψυχαγωγίαν παρέξει σοι τὸ σύγγραμμα. διὰ μέντοι τὰς ἀσχολίας προέγραψα τὰ κεφάλαια τῶν ἀποδεικνυμένων, ἵνα πρὸ τῆς ἀναγνώσεως τοῦ βιβλίου τὸ ἐπάγγελμα τοῦ συγγράμματος δι' ὀλίγων κατανοήσῃς, καὶ οὓς ἂν ἐπιζητήσεις ἀναγνωσθῆναι τόπους ῥᾳδίως εὑρίσκων τοὺς χρόνους μὴ τρίβῃς.

Jam hoc recentioris editionis prooemium longissime nos ab Arriano removet. Nam nec tempora ullo modo conveniunt — cum hujus libri conceptio in a. 97 vel 98 p. Ch. incidat, Arrianus vero, qui ad Marci Aurelii usque aetatem vixit, eo anno vix natus fuerit, et si tacticam suam cum equestrium exercitionum tractatu conjunxit, eam epilogo teste a. 137, quadraginta annis post, scripserit —, nec quae de se dicit scriptor ut mathematico et rei Romanorum militaris experte. Aliud accedit: videtur ille libellus ne Adriano quidem, sed Trajano dedicatus esse. Nam, ne iterum ad tempora provocem, quamquam ita certe inter operis conceptionem et editionem viginti minimum anni caderent; graviora haec sunt, quod imperator appellatus et Nervae divi filius audit et ob bella re vera gesta celebratur. Neutrum in Adrianum cadit, quamquam haud ignoro ejus imperatoris de re militari studia et merita: vid. Ael. Spart. Adr. 10. 11. 14. Hinc non dubito, quin pro Adriani nomine bis Trajani substituendum sit, cui callide etiam Alexandro commemorato (cfr. Ael. Spart. l. c. 4) suum opus commendat scriptor.

Sed quid faciamus tacticae Arriano adscriptae, quam Aelianea antiquiorem vidimus? Aut magnopere fallor, aut ea certo huic scriptori abjudicanda est. Nam praeter argumentum modo explicatum nomen Arriani nulla omnino nititur auctoritate, cum initium mutilum sit. Quod autem in fine adjicitur *Ἀρριανοῦ τέχνη τακτική*, id etiam de sola posteriore parte a librariis dici potuit. Quam ipsam Arriani esse eo minus negaverim, quo pronius erat recenti Xenophonti etiam libello de re equestri composito cum antiqui Xenophontis Hipparchico certare. Locus vero, quo prior et posterior pars consociantur, corruptus est. Vulgo c. 46 S. p. 74 B. haec leguntur: *τὰ δὲ μέν, ὥσπερ ἐν τέχνῃ, δι' ὀλίγων ἐδήλωσα ἱκανά, ὑπέρ γε πάλαι Ἑλληνικῶν καὶ τῶν Μακεδονικῶν τάξεων, ὅστις μηδὲ τούτων ἀπείρως ἐθέλοι ἔχειν. ἐγὼ δὲ τὰ ἱππικὰ γυμνάσια, ὅσα Ῥωμαῖοι ἱππεῖς γυμνάζονται, ἐν τῷ παρόντι ἐπε-*

ξελθών, ὅτι τὰ παγη • καὶ ἔφθην δηλῶσαι ἐν τῇ συγγραφῇ, ἥντινα ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ βασιλέως συνέγραψα. τὸ δὲ μοι ἔσται τέλος τοῦ λόγου τοῦ τακτικοῦ. Non dubito, quin, quae male coaluerunt, unius libri finis et alterius initium, hoc modo secernenda sint: *τάδε μέν, ὥσπερ ἐν τέχνῃ, δι' ὀλίγων ἐδήλωσα ἱκανὰ ὑπέρ τε τῶν πάλαι Ἑλληνικῶν καὶ Μακεδονικῶν τάξεων, εἴ τις μηδὲ τούτων ἀπείρως ἐθέλοι ἔχειν· τόδε δέ μοι ἔσται τέλος τοῦ λόγου τοῦ τακτικοῦ.*

Ἔγωγε τὰ ἱππικὰ γυμνάσια, ὅσα Ῥωμαῖοι ἱππεῖς γυμνάζονται, ἐν τῷ παρόντι δηλώσω, ὅτι τὰ πεζικὰ ἔφθην ἐπεξελθὼν ἐν τῇ συγγραφῇ, ἥντινα ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ βασιλέως ἔγραψα. Liber ille Arriani quem non cohaesisse ab initio cum tractatu equestri ipsa haec verba ostendunt, cum periisset, Aelianeus — ita jam eum appellare licet cum Byzantinis Leone VI, 30. Constantino p. 1228 — in ejus locum substitutus et cum tractatu equestri conflatus est. Hunc vero Aelianum non cum rhetore Praenestino confundendum esse, id quod haud raro accidit, vix jam opus est ut moneatur.

Unum restat, quod quis quaerat, num Arrianea, quam per abusum diximus, recensio integriorem servet ipsius Aeliani operam, quam serioris rhetoris manus adauctam in Aelianeae, quam vocavimus, recensionis formam redegerit, an ipsa illa paullo antiquius quoddam sit opusculum, quod paucis mutatis in suum usum transtulerit Aelianus particulis undique desectis amplificatum. Utrum probabilius sit, difficile quidem statuere, sed utrumcunque statuitur, res perinde est.

INDEX LECTIONUM
IN
LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI
INDE
A DIE XXVII. MENSIS OCTOBRIS MDCCCLI
USQUE
AD DIEM XX. MENSIS MARTII MDCCCLII
HABENDARUM.

RECTOR MAGNIFICUS: A. Schweizer, Dr.

I. Ordinis Theologorum.

Decanus: J. P. Lange, Dr. Theol.

1. Professorum ordinariorum:

F. Hitzig, Dr. Theol.

1) Antiquitates biblicas ternis per hebdomadem horis tradet.
2) Genesin quinis horis interpretabitur.
3) Exercitationes V. T. exegeticas binis horis moderabitur.
4) Jacobi epistolam totidem horis explicabit.

J. P. Lange, Dr. Theol.

1) Historiae ecclesiasticae partem alteram senis horis enarrabit.
2) Dogmatices partem quam vocant positivam quaternis horis tradet.
3) Exercitationes catecheticas binis horis instituet.

A. Schweizer, Dr. Theol.

1) Ethicen philosophicam quaternis horis docebit.
2) Evangelium Joannis totidem horis explicabit.
3) Exercitationes homileticas binis horis moderabitur.

O. F. Fritzsche, Dr. Theol.

1) Epistolam ad Hebraeos ternis horis explanabit.
2) Exercitationes N. T. exegeticas binis horis instituet.

3) Dogmatum historiam quinis horis enarrabit.

4) De libris ad disciplinam theologicam pertinentibus, inde a sacris emendatis, binis horis exponet.

2. *Professorum extraordinariorum:*

M. Ulrich, V. D. M.

1) Evangelium Lucae ternis horis illustrabit.

2) Epistolas quas dicunt catholicas binis horis interpretabitur.

A. E. Biedermann.

1) Evangelium Lucae, et historiam et praxin spectaturus, ternis horis explicabit.

2) Schleiermacherus qualem se et theologum et philosophum praestiterit, ternis horis docebit.

3. *Privatim docentium:*

J. C. Usteri, Pastor Kilchb.

1) Introductionem in N. T. binis horis tradet.

2) Priorem ad Corinthios epistolam totidem horis explanabit.

3) De patribus ecclesiasticis horis singulis disputabit.

A. Koch, Licent. Theol.

1) Vaticiniorum V. T. Messianorum apud Israëlitas historiam, locos V. T. huc spectantes simul interpretaturus, binis horis enarrabit.

2) Joannis Apostoli evangelium atque epistolas quaternis horis illustrabit.

3) Grammaticam Arabicae linguae singulis horis tradet.

D. Fries, Diac. Petr.

Institutiones ritusque ecclesiae Turicensis binis horis exponet.

II. Ordinis Jureconsultorum.

Decanus: F. de Wyss, Dr.

1. *Professorum ordinariorum:*

A. Erxleben, Dr.

1) Pandectas duodenis horis illustrabit.

2) Selectos Pandectarum locos binis horis interpretabitur.

E. OSENBRUEGGEN, Dr.

1) Processum criminalem Germanicum communem judicialibus Anglorum et Francogallorum consuetudinibus comparatis quinis horis tradet.

2) Jus hereditarium Romanorum totidem horis docebit.

2. *Professorum extraordinariorum:*

H. ESCHER, Dr.

1) Processum civilem Turicensem quinis horis illustrabit.

2) Oeconomiam publicam totidem horis tradet.

F. DE WYSS, Dr.

1) Rerum publicarum Germanicarum jurisque Germanici historiam, Helvetiae inprimis ratione habita, quinis horis enarrabit.

2) Juris privati Turicensium partem priorem, quae est de praeceptis generalibus, de jure rerum et obligationum, quaternis horis tradet.

J. HILLEBRAND, Dr.

1) Jus privatum Germanicum una cum negotiationis et feudorum jure octonis horis docebit.

2) De jure gentium binis horis disputabit.

3) Practicum ad Pandectas spectans totidem horis moderabitur.

3. *Privatim docentium:*

J. SCHAUBERG, Dr.

1) Encyclopaediam disciplinarum politicarum et forensium quaternis horis tractabit.

2) Jus negotiationis totidem horis docebit.

3) Jus criminale commune et Turicense senis horis tradet.

H. MARSCHALL DE BIEBERSTEIN.

1) Jus publicum commune ternis horis pertractabit.

2) Oeconomiam publicam et rem pecuniariam senis horis expediet.

3) Quae ratio inter negotiationis atque opificiorum artiumque exercitionem intercedat, binis horis comparando ostendet.

III. Ordinis Medicorum.

Decanus: C. F. Ludwig, Dr.

1. *Professorum ordinariorum:*

H. LOCHER-ZWINGLI, Dr.

1) Chirurgiam quaternis horis, et

2) Artem vulnera obligandi binis horis docebit.

3) Clinicen chirurgicam senis horis moderabitur.

C. E. Hasse, Dr.

1) Pathologiam ac therapiam specialem quinis horis tradet.

2) De morbis organorum digestionis ternis horis disputabit.

3) Clinicen medicam septenis horis moderabitur.

C. F. Ludwig, Dr.

1) Anatomiam hominis denis horis tractabit.

2) Exercitationes corpora secandi cum H. Meyero, Prof., moderabitur.

3) Societatem physiologicam bis p. h. publice instituet.

2. *Professorum extraordinariorum:*

H. Spöndli, Dr.

1) Commilitones quater p. h. quomodo in arte obstetricia versandum sit, phantomate adhibito instituet.

2) Clinicen obstetriciam ternis horis moderabitur.

J. Locher-Balber, Dr.

1) Pharmacologiae specialis alteram partem, medicamenta praecipua demonstraturus, et artem formulas medicas rite conscribendi, exercitationes practicas instituturus, senis horis docebit.

2) Policlinicen ternis horis moderabitur.

H. Frey, Dr.

1) Anatomiam universalem, s. doctrinam de compositione chemica et de formis elementorum corporis quinis horis docebit.

2) Quomodo homines atque animalia vertebrata nascantur et adolescant, binis horis tradet.

3. *Privatim docentium:*

H. Giesker, Dr.

1) Medicinam forensem quaternis horis docebit.

2) Cursum practicum operationum in oculis faciendarum binis horis instituet.

H. Meyer, Dr., Prosector.

1) Osteologiam et syndesmologiam ternis horis tradet.

2) Anatomiam cum commilitonibus quater p. h. repetet.

H. Zwicky, Dr.

1) Medicinam forensem ternis horis tractabit.

2) Cursum practicum operationum in oculis faciendarum ter p. h. instituet.

J. Locher, Dr.

1) Artem medicam publicam (s. medicinam forensem et disciplinam publicam de rebus medicis) ternis horis docebit.

2) Artem oculis medendi binis horis tradet.

3) Medicinam pastoralem, subjuncta anthropologia, ternis horis illustrabit.

4) De pathologia speciali et de pharmacologia commilitones ternis horis examinabit.

H. Spöndli, Dr.

1) Rudimenta anthropologiae binis horis exponet.

2) Commilitones de re obstetricia, simul rationem morborum mulierum habiturus, bis p. h. examinabit.

3) De ratione, quae medicinam inter et artem intercedat, singulis horis publice disputabit.

IV. Ordinis Philosophorum.

Decanus: H. Köchly, Dr.

1. Professorum ordinariorum:

E. Bobrik, Dr.

1) Psychologiam quaternis horis docebit.

2) Historiam philosophiae aetatis mediae ac recentiorum temporum quater p. h. enarrabit.

3) Quomodo calculus differentialis et integralis psychologiae illustrandae adhibeatur, binis horis demonstrabit.

4) De Humboldtii libro, qui inscribitur Kosmos, bis p. h. disputabit.

A. Müller, Dr.

1) Elementa disciplinae mathematicae (algebram et geometriam) quater;

2) Geometriam subtiliorem, praecipue lineas et areas tertii ordinis quater;

3) Physicen mathematicam quater, et

4) Astronomiam omnium intellectui accommodate bis p. h. tradet.

J. J. Hottinger, Dr.

1) Res gestas Helvetiorum a sacris inde emendatis usque ad res novas apud Francogallos exortas ternis horis exponet.

2) Libros ad historiam Helveticam pertinentes binis horis enumerabit et dijudicabit.

J.C. Löwig, Dr.

1) Chemiam experimentalem organicam, suum librum: „*Grundriss der organischen Chemie, Brunsv.* 1851", secuturus, senis horis, et

2) Chemiam analyticam ternis horis illustrabit.

3) Chemiam anorganicam cum commilitonibus semel p. h. repetet.

4) Exercitationes practicas in laboratorio chemico moderari perget.

H. Köchly, Dr.

1) Literarum Romanarum historiam quaternis horis enarrabit.

2) Aristophanis Equites et Aves interpretabitur, reliquas fabulas breviter enarrabit, ternis horis.

3) Horatii carmina selecta ter p. h. explicabit.

4) Societatis philologicae exercitationes semel p. h. sed binis continuis horis publice moderabitur, Platonis Symposium explicandum propositurus.

Ad. Schmidt, Dr.

1) Historiam universam ab antiquissimis inde temporibus usque ad magnam gentium migrationem senis horis, et

2) Nostrae aetatis inde ab anno 1840. historiam binis horis enarrabit.

3) Exercitationes historicas semel p. h. publice moderari perget.

2. *Professorum extraordinariorum:*

H. R. Schinz, Dr.

1) Anthropologiam quater, et

2) Historiam naturalem animalium vertebratorum quater p. h. tradet.

O. Heer, Dr.

1) Botanicen universalem quaternis horis docebit.

2) De plantis antediluvianis bis p. h. disputabit.

A. Mousson, Dr.

1) Physicen experimentalem quinis horis explicabit.

2) De rebus physicis commilitones binis horis examinabit.

J. Raabe, Dr.

1) Quomodo calculus differentialis et integralis geometriae illustrandae apte adhibeatur, bis p. h. demonstrabit.

2) De integralibus functionibusque ellipticis binis horis disputabit.

3) Exercitationes calculi differentialis et integralis totidem horis moderabitur.

H. Schweizer, Dr.

1) Grammaticam linguae Sanscriticae binis horis illustrabit.

2) Taciti Germaniam ternis horis explanabit.

C. Naegeli, Dr.

1) De cellulis plantarum ternis horis disputabit.

2) Perscrutationes microscopicas binis horis instituet.

J. Frei, Dr.

1) Thucydidis orationes selectas ternis horis, et

2) Ciceronis orationem pro Quinctio, habita rerum forensium ratione, totidem horis interpretabitur.

3) Historiam poëseos dramaticae apud Graecos binis horis enarrabit.

A. L. Kym, Dr.

1) Psychologiam ternis horis tradet.

2) Societatis philosophicae exercitationes, librum I. Aristotelis Metaphysicorum explicandum propositurus, binis horis moderabitur.

3. *Privatim docentium:*

A. S. Voegelin, V. D. M.

1) Aeschyli Agamemnonem ternis horis,

2) Platonis Phaedonem binis horis, et

3) Pindarum ternis horis explanabit.

H. Voegeli, Dr.

Imperii Germanici historiam inde a Friderico I. usque ad Rudolphum regem quaternis horis illustrabit.

Eichelberg, Dr.

1) Mineralogiam quater,

2) Rationem ac viam disciplinarum naturalium semel bisve, et

3) Historiam naturalem omnium intellectui accommodate quater p. h. tradet.

A. Escher von der Linth, Dr.

1) Geologiam bis,

2) Orologiam Helvetiae bis, et

3) Mineralogiam bis p. h. docebit.

F. Gidoni.

De civitatum Europaearum conditione ac statu publico binis horis sermone francogallico disseret.

Flegler, Dr.

Historiam aetatis mediae inde a morte Valentiniani I. usque ad initium expeditionum pro sacris Christianis susceptarum quaternis horis deducet.

J. Amsler, Dr.

1) Geographiam mathematicam quater, et

2) Doctrinam de vi elastica, praeterea quomodo ad opticen et acusticen transferatur, quater p. h. docebit.

J. Scherr, Dr.

1) Artem aestheticam s. doctrinam de eo quod pulchrum est ternis horis tradet.

2) De recentissimis literis Europaeis, ac quomodo paullatim creverint atque mutuam inter se vim exercuerint, binis horis exponet.

D. Fehr, Dr.

1) De philosophia aetatis mediae et temporum recentiorum quater;

2) De jure naturae s. de philosophia juris ter;

3) De Goethii poëmate quod Faustus inscribitur semel, et

4) De historia artis pingendi bis p. h. disputabit.

G. de Wyss.

Res gestas Helvetiorum usque ad sacra emendata ternis horis enarrabit.

H. Behn-Eschenburg.

1) Junii epistolas ternis, et

2) Shakespearii fabulam »Richard III« binis horis explicabit.

J. Locher, Dr.

Shakespearii fabulas „Macbeth« et »The Merchant of Venice« ternis horis explanabit.

O. Volger, Dr.

1) Mineralogiam quaternis horis,

2) Palaeontologiam et conspectum geologiae quaternis horis, et

3) Historiam naturalem tripartitam, suo ex libro: »*Methodische Schule der Naturgeschichte*«, senis horis tradet.

Iis qui linguas recentiores, ut Francogallicam, Italicam, Anglicam, Hispanicam discere cupierint, haud deerunt praeceptores.

Artes docebunt: rudibus batuendi J. G. Ludwig, equitandi C. Schnabel et J. C. Ost, delineandi C. A. Müller. Musices artes discendi ampla est opportunitas.

Publica docendi discendique subsidia.

Instituto medico-clinico praeest C. E. Hasse; chirurgico-clinico H. Locher-Zwingli; maiocomio J. C. Spöndli; clinico-ambulatorio J. Locher-Balber; museo anatomico C. F. Ludwig; laboratorio chemico J. C. Löwig. Praesto est apparatus instrumentorum ad physicen et mineralogiam pertinentium, et museum zoologicum, neque deest hortus botanicus.

Bibliotheca reipublicae Turicensis, bibliotheca civium Turicensium, bibliotheca naturae scrutatorum, bibliotheca societatis medicorum, bibliotheca societatis jureconsultorum publicis usibus ita patent, uti singularum leges atque instituta concedunt.

(2)

INDEX LECTIONUM

IN

LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI

INDE

A DIE I. MENSIS NOVEMBRIS MDCCCLII

USQUE

AD DIEM XX. MENSIS MARTII MDCCCLIII

HABENDARUM.

INEST DISSERTATIONIS

DE LIBRIS TACTICIS, QUI ARRIANI ET AELIANI FERUNTUR,

SUPPLEMENTUM.

TURICI,

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI.

1852.

Herrn Prof. Dr. Lehrs [illegible]

Quae de libris tacticis Arriani et Aeliani nomine inscriptis superiore anno proposui, ea quam vera fuerint, nunc demum intellexi uberius nactus criticum instrumentum. Absoluta enim a Ruestovio et me illa rei militaris apud Graecos historia, quam militarium non minus virorum quam philologorum plausu exceptam esse gaudemus — haud ignari tamen prima tantum a nobis jacta esse fundamenta —, operae pretium nos facturos arbitrati sumus, si selectos quosdam Graecae militiae auctores item „viribus unitis“ ederemus ita, ut verba eorum non tantum emendatius repetenda curaremus, sed etiam interpretatione vernacula atque commentariis ad res ipsas maxime spectantibus illustraremus. Quem nostrum laborem speramus quidem haud ingratum fore corollarium iis, qui rerum a nobis in illo libro expositarum difficiliorem partem accuratius atque ex ipsis fontibus cognoscere cupiant; sed eundem tamquam aemulum opponere amplissimae militarium scriptorum collectioni, quam ex longo jam tempore a Friderico Haasio parari constat, tantum abest ut cogitemus, ut in re simili tractanda dissimilior ratio excogitari possit vix ulla. Ille etenim *) libros omnes Graecos Latinosque, qui sunt de universa arte militari usque ad saec. XV scripti, ex libris scriptis et impressis diligentissime conquisitos novem voluminibus „doctis, Jupiter, et laboriosis« comprehensurus est ita, ut ampliores commentarii iis tantum scriptoribus addantur, quibus jam olim accesserunt, in reliquis nihil adjiciatur praeter adnotationem criticam, Graecis tamen scriptoribus interpretatio latina accedat. Nos contra eo, quem supra dixi, modo edendos eos tantum auctores selegimus, qui, cum usus eorum in cognoscenda re Graecorum militari sit eximius, tamen difficilius et parantur et intelliguntur. Itaque omissis Xenophontis libellis utilibus quidem sed ubique obviis, rejectis etiam inanibus Onosandri praeceptis, ineptis strategematicorum historiolis loquacissimisque Byzantinorum nugis, duobus satis habuimus modici ambitus voluminibus eos

*) Vide ejus »de militarium scriptorum Graecorum et Latinorum omnium editione instituenda« narrationem, qua orationi muneris suscipiendi causa a se habendae prolusit (Berolini. 1847); inprimis quae p. 4 sqq. exposuit.

includere scriptores scriptorumque locos, quibus obsidionum et tormentorum ratio atque ars tactica Graecorum vere illustratur. Hinc priori volumini, quod his ipsis diebus Lipsiae prelo subjici coeptum est, praeter Aeneae poliorceticon Philonis et Heronis dissertationes belopoeicas prorsus singulares et egregias inseruimus, iisque appendicis loco Vitruvii, Ammiani Marcellini, et libri de rebus bellicis capita ad catapultas balistasque spectantia adjecimus, eamque doctrinam commentariis et figuris ita explanavimus, ut, usque dum nova detegantur subsidia, eam rem ad finem nos perduxisse nobis videamur. Altero vero volumine, quo elaborando hoc ipso tempore sumus occupati, libros tacticos qui Arriani et Aeliani feruntur simul cum inedita Asclepiodoti philosophi tactica comprehendemus, Athenaei et Apollodori libris, qui sunt de munitionibus et obsidionibus, simul cum Vitruvii et Vegetii capitibus ad eandem rem pertinentibus adjectis. Hoc labore si etiam philologorum studia ut in militiam antiquam convertamus nobis contigerit, fortasse vasto eruditoque Haasii operi, quod tamdiu in viri egregii scriniis latere nemo nobis aegrius ferat, ut via et aditus muniatur aliquid contulerimus. Aeliano igitur recensendo ut ea certe, quae mihi quidem paterent, subsidia nobis compararem, Joannem Hunzikerum Aargaviensem, qui academicum studiorum cursum emensus superioris anni exitu Lutetiam Parisiorum se conferret, rogavi, ut codices Aeliani ibi asservatos excuteret. Id negotium non suscepit solum vir doctissimus libentissime, sed peregit etiam tanta industria, diligentia, dexteritate, ut jam judicii de Aeliano ferendi certum nactus sim fundamentum.

Intellexi vero rectissime Haasium l. c. p. 27 sqq. docuisse, militarium scriptorum quaecunque supersint ex duabus derivata esse vastissimis collectionibus saeculo X, ut videtur, fortasse Constantini Porphyrogeniti auspiciis institutis, quarum una codice illo celeberrimo Florentino plut. LV, 4, de quo uberrime exposuit Bandinius Catal. codd. graecc. bibl. Laur. II, p. 218—238, contineatur, altera codice Parisino 2442, qui olim et ipse Mediceus fuit. De illo quidem, quo sane uti mihi non licuisse doleo, pluribus dicere hic non attinet, nisi hoc unum, codices multo pauciores, qui Florentinae familiae supersint, ex ipso Florentino, et quidem „tum demum ductos, cum is jam non integer amplius esset,“ ut Haasii verbis utar l. c. p. 29. Alia est codicum Parisinae familiae multo plurium conditio, quorum partem certe non ex ipso illo vetustissimo, sed ex simili quodam sed vetusto et ipso ejusdem corporis fonte fluxisse scite intellexit Haasius ibid. p. 33, qui recte item observavit „codicem illum 2442 esse quidem totius familiae longe praestan-

tissimum, sed tamen non ita, ut non reliqui etiam codd. in subsidium advocandi sint.« Id quam vere fuerit judicatum, jam in Aeliano ostendam ita, ut simul, quae sit ratio et cognatio codicum Parisinorum, liquide demonstrem.

Recensionem quae hodie circumfertur Aeliani suo jure »prodigiose corruptam« dixisse Haasium p. 36 vel ex iis apparet interpolationibus, quas in priore dissertatione revelavi. In quibus revelandis veram me secutum esse rationem jam ex codicibus collatis clarissime apparet. Prorsus enim diversa est Aeliani recensio Florentina a Parisina — ita jam brevitatis causa dicere licet —, quarum illa genuinum textum continet ad Arrianeum fragmentum proxime accedentem, haec cum aliis locis interpolata est, tum cap. XXXVI—XLVIII ingentem continet eamque vanissimam tacticarum meditationum farraginem miro modo cum sinceris auctoris verbis commixtam.

Editionis Florentinae unum habemus testem Parisinum, codicem 2446 (quem litera M insignibo), chartaceum, recentissime — saeculo XVII, ut catalogus indicat — sed accuratissime, ut videtur, e codice Florentino descriptum, ut titulus testatur initio adscriptus hic: „Codex Papyr. recens scriptus ex veteri tamen manuscripto Mediceo.« Figuris prorsus caret, quae sane quales vulgo feruntur etiam in codicibus Parisinae editionis delineatae inveniuntur. Maximopere vellem scire, num eaedem similesve in libro Florentino quoque insint necne: mihi quidem eae omnes a Parisinae demum editionis concinnatore excogitatae et additae videntur.

Editionis Parisinae purissimus est et vetustissimus fons codex 2442 (quem litera A notabo), membranaceus, „cujus codicis pars major seculo decimo exaratus videtur«, accurate et luculenter scriptus; *ἰῶτα* subscribendum in ipso literarum ordine verbis adscribitur. Figuras habet, quae, si ab exiguis rebus discedas, Gesnerianis consimiles sunt: signis quibusdam, quorum imagines hic repraesentari non possunt, haec militum genera distinguuntur (vid. infra ad c. XLVIII): *ὁπλίτης κονταράτος πεζός* — *πελταστὴς ἢ σφενδονήτης ψιλός*, — *πεζοὶ μετὰ τριχουρίων ἤτοι πελτασταί* — *λοχαγός* — *ψιλὸς τοξότης* — *καβαλλάριος ταρᾶ* (i. e. *ταραντῖνος*) — *καβαλλάριος τοξότης* — *ειλάρχης*. Ut ex unguibus leonem aut ex auriculis asellum, ita jam ex hoc indice hominem Byzantinum agnoscimus. — Instructus est codex scholiis satis amplis ad marginem eadem manu adscriptis, quorum pars, ut statim videbimus, textui vulgato illata est, ut egregium habeamus ad perspiciendam horum additamentorum rationem adjumentum. Sed quae res multo etiam gravior est et indicium praebet luculentissimum interpolationis illius, qua posterior Aeliani

pars obruta est, singulorum capitum est distinctio per priorem partem propagata. Sed de ea re operae pretium est ipsa fere Hunzikeri verba apposuisse: „Die gewöhnlichen Kapiteleintheilungen und Kapitelaufschriften hat der Codex nicht; dagegen steht bei jedem Absatze, er mag grösser oder kleiner sein, eine Zahl am Rande, die erste, $\bar{\alpha}$, bei *Κεφ. α'* (p. 531 ed. Gesner.) *πρῶτον μὲν οὖν* u. s. w., die letzte, $\overline{G\iota}$, bei *ὑπόταξις δέ ἐστιν* am Schlusse von *Κεφ. λα'* (p. 576 ed. Gesner.). Diese Zahlen sind der Dinte und den mit ihnen stimmenden Absätzen und Unzialbuchstaben zu Folge gleich alt mit der Abfassung des Codex. Dann folgen *Κεφ. λβ'* — *λε'* (p. 577—581) *ἑπόμενον δ' ἂν εἴη* — *παράγγελμα* ohne alle Ueberschrift und Zahlen; von *Κεφ. λϛ'* aber — *περὶ πορειῶν* u. s. w. — beginnen dann die Kapitelaufschriften, wie sie in der Collation angeführt sind.« Initium igitur faciunt hi tituli, qui fere breviores sunt Gesnerianis, ab eodem illo capite, a quo etiam interpolatio illa initium facit! De defectu, quem Aelianus quidem in hoc codice passus est, Haasius p. 30 ita scripsit: »primi fasciculi folium primum periit, quod figuras habuit, et ultimum, quod rec. m. ex novicio Aeliani codice supplevit.« Et initium quidem postea inventum et codici redditum videtur; certe Hunzikerus figuras mihi descripsit — sunt vero hae a Gesnerianis non multum discedentes: *κοιλέμβολος*, *ἰσόπλευρον ἤτοι πλινθίον*, *ἑτερόμηκες ἤτοι πλαίσιον*, *πλαγία φάλαγξ*, *μηνοειδής*, *λοξὴ ἐν εὐωνύμῳ*, *λοξὴ ἐν δεξιῷ*, *ὀρθία ἐπαγωγή*, *ἐπικάμπιος ὀπισθία*, *κυρτὴ φάλαγξ* —, quas in primis duobus laesis codicis foliis delineatas dicit. Ultimum illud — si quidem fuit! — fasciculi primi folium Aeliani continebat a verbis *τουτέστι κατὰ μῆκος* cap. XI, p. 551 v. 4 ed. Gesner. usque ad verba *πρὸς τὰς τῶν πολεμίων παρασκευὰς* cap. XV, v. 4 p. 553 ed. Gesner., sive, ut ipsius codicis retineamus descriptionem, a medio $\overline{\mu\beta}$, quod incipit verbis *ἔστι δὲ πύκνωσις* p. 551 v. 1 ed. Gesn., usque ad medium $\overline{\nu\beta}$, quod verbis finit *συνεστάχθωσαν οὕτως* cap. XV v. 8 ed. Gesn. Unde suspicor folium illud non amissum esse, sed omnino nunquam scriptum fuisse, cum scriba numerorum $\overline{\mu\beta}$ et $\overline{\nu\beta}$ similitudine deceptus integrum archetypi sui folium transsiliret. Recens vero manus, quae »ex novicio Aeliani codice« defectum supplevit, peculiarem hujus codicis divisionem scilicet in nullo alio libro obviam omisit.

Proxime accedit ad codicis A bonitatem codex 2524, quem litera B insignibo, membranaceus saec. XIV, qui in gravioribus fere rebus omnibus cum A consentit; neque tamen ex illo descriptum esse et discrepantium, haud raro meliorum, lectionum copia ostendit, quam in B deprehendimus, et nu-

merorum illorum, qui in A inveniuntur, defectus. Omni omnino capitum notatione caret.

Nec codices 2527 (F) et 2444 (Φ) ex ipso A, sed tantum ex consimili fonte derivati videntur. Chartacei sunt, saec. XVI; F quidem prius et pessime quidem exaratus, descriptus vero e codice quodam lacunoso et disjecto; hinc postea Φ in ejus supplementum et elegantissime quidem ab alio scriptus est, ut ipsa testatur hujus inscriptio: *Τὰ παραλειπόμενα ἐν τῇ τοῦ Αἰλιανοῦ τακτικῆς θεωρίας βιβλίῳ* (sic!). Hinc ambo codices inter se conjuncti paene totum continent editionis Parisinae Aelianum, ut ex tabula hic apposita apparet:

F continet:	Φ continet:	Desunt:
ab initio usque ad cap. II, p. 532 v. 11 ab imo — *ὀχημάτων*.		
		a pag. 532 v. 11 ab imo *τὸ μὲν ἰδίως* — usque ad v. 7 ab imo — *τῶν ἵππων*.
	a p. 533 v. 16 ab imo *τούτων δὲ* — usque ad cap. VII, p. 539 v. 20 a summo — *πόσον δὲ δεῖ τὸν ἀριθμὸν καὶ τὰ λοιπὰ* (sic!).	
a cap. IX, p. 542 v. 3 ab imo *Δοκεῖ δὲ τὸ σύνταγμα* — usque ad cap. XV extr., p. 553 — *ἐννενήκοντα δύο*.		
	a cap. XVI in., p. 553 v. 7 ab imo *ὀνόματα δὲ* — usque ad p. 554 v. 11 a summo — *ἐννενήκοντα δύο*.	
a cap. XVI, p. 554 v. 11 a summo *δεῖ δὲ καὶ τούτοις* — usque ad cap. XIX v. 10, p. 560 — *τεταγμένους*.		
	a cap. XIX v. 10, p. 560 *ἵνα μὴ* — usque ad cap. XXI v. 10, p. 564 — *γνόντα*.	
		p. 564, cap. XXI v. 10 et 11 verba *τότε καὶ ἐπὶ τῆς ἀληθείας χρήσασθαι*.
a cap. XXI v. 11, p. 564 *εὔηθες* — usque ad cap. XXII v. 6 ibid. — *τῆς ζευκτικῆς*;		

F continet:	Φ continet:
tum sequitur a cap. II, p. 532 v. 7 ab imo τῷ μὲν γένει — usque ad p. 533 v. 16 ab imo — βάλλοντες; tum sequitur a cap. VII, p. 539 v. 19 a summo ὡς προελθόντες — usque ad cap. IX, p. 542 v. 3 ab imo — στρατοκῆρυξ; tum sequitur a cap. XXII v. 6, p. 564 τὰ δύο ἅρματα — usque ad cap. XXVIII, p. 571 v. 11 a summo — προσαγορευόμενος.	
	a cap. XXVIII, p. 571 v. 11 a summo γίνεται ὅταν — usque ad cap. XLII, p. 591 v. 12 a summo — ἐν δὲ τῷ τοιούτῳ τάγματι κτλ. (sic!).
a cap. XLII, p. 591 v. 11 a summo ἐν δὲ τῷ τοιούτῳ τάγματι — usque ad v. 8 ab imo — διφαλαγγία.	
	a p. 591 v. 8 ab imo: Ἑτερόστομος φάλαγξ, ἥτις κατ' ἐπαγωγὴν — usque ad cap. XLII, p. 594 in. ἱππικὴ ᾠοειδὴς ἴλη ταύτην πρῶτος Ἰλέων εὗρεν ὁ Θεσσαλὸς κτλ.
a cap. XLII, p. 594 in. usque ad cap. XLVIII, p. 599 v. 17. a summo — ηὐτρεπισμένοι.	interpolationes, quae post ηὐτρεπισμενοι in A ad marginem leguntur: vid. infra.
a cap. XLIX, p. 600 in. usque ad finem.	

Hi igitur codices — A B F + Φ — editionem Parisinam integerrime servarunt. Iis adnumeranda est antiquissima Theodori Gazae Thessalonicensis interpretatio latina, quae Antonio Panormitae Alphonsi regis praeceptori dicata primum Romae 1487 per Eucharium Silber impressa prodiit, tum saepius repetita atque etiam in editionem Gesnerianam p. 625—643 recepta est.

Altera classis est eorum codicum, qui editionem Parisinam definitionibus quibusdam, quae olim ut in A ad marginem adscriptae erant, amplificaverunt. Hi sunt primum codices 2523 (C) et 2525 (E), chartacei, qui Angeli Vergetii manu ambo diligentissime et elegantissime scripti tantam in omnibus rebus et gravioribus et levioribus inter se habent similitudinem, ut pariter atque duo illi Nonni codices Monacenses, de quibus in conjectann. epicc.

II, p. 3 dixi, prorsus pro uno haberi possint. Porro huc pertinent 2443 (G) itidem ab Angelo Vergetio scriptus, fortasse anno 1549, si fides est huic numero in libri fronte posito; tum 1774 (H), qui hanc habet inscriptionem: „cod. regius 3064 chartaceus, scriptus ineunte saeculo XVI; fuit olim Antonii Eparchii, qui eum dono dedit regi Francisco I, ut patet ex notula ipsius Eparchii manu adscripta indici eorum, quae hoc codice continentur.“ Et alio loco: »Iste codex illatus fuit in Bibliothecam regiam anno 1530.« Sunt et hi chartacei. Huic classi etiam accensendus est ille codex ms., 'e quo lectiones variae descriptae olim ac notatae ab »Henrico Stephano« in Arcerianae editionis introitu leguntur. Eas lectiones litera S insignitas, ubi opus erit, commemorabo. Sed omnium, qui hujus classis sunt, librorum maxime notabilis est 2526, itidem Vergetii manu scriptus, qui textum primitus eundem fere atque CEGHS, sed plerumque ex A sive alio prioris classis libro correctum exhibet. Ei literam D adsignabo.

In librorum pessimorum h. e. praeter interpolationes alterius classis variis insuper vitiis foedatorum numero is fuit, ex quo editiones, quae adhuc exstant, fluxerunt: cfr. dissertationem priorem p. 4 sq. Et Gesnerus quidem editionem Robertellianam, quantum probabiliter suspicari licet, fideliter transscripsit; Sixtus Arcerius vero, cujus librum tandem aliquando nactus sum, tantum abest »ut novam recensionem Aeliani adornaverit«, ut textum vulgatum fere novis vitiis atque lacunis negligentia admissis magis etiam depravaverit. In notis contra, quas textui postponendas curavit, non male ut pro illis temporibus de Aeliano et explicando et emendando meruit, quippe qui et res ipsas cum aliorum scriptorum locis tum parallelis Suidae inprimis et lexici militaris (de quo vid. infra p. 13) definitionibus adscriptis illustraverit, et verba auctoris quomodo aut corrupta rectius scribenda aut mutilata integranda aut ab interpolationibus purganda sint identidem recte perspexerit, partim suo tantum Marte confisus, partim Gazae auctoritate nisus. Etenim singularis libri dos haec est, quod Arcerius perspecto Gazam codice usum esse multo meliore, quam ex quo editiones fluxere, illius interpretationem accuratissime contulit atque quae Gaza in libro suo aut legerit aut non legerit, diligenter adnotavit. Sed hoc duce quamquam bonam interpolationum partem (ut c. XXV *ἐπιστροφὴ δ' ἐστιν* — *ἐπιστροφὴ γίνεται*; c. XXVIII *Μακεδὼν λέγεται* — *πολεμίοις*; ibid. ὁ δὲ *Λάκων* — *πολεμίοις*; c. XXXVIII *στόμα* — *πορευόμενοι*; ibid. *ἑτερομήκεις* — *διπλάσιον*;) ejicere posset, id tamen tribus tantum locis fecit: c. XXVIII *ἰστέον ὅτι* — *ἀνδρῶν*

τόκον, quem locum „in notas rejecit" ad cap. sequens; tum c. XLVIII *ὁπλῖται μὲν οὖν — σφενδόναις*; postremo in illa quadrati agminis exegesi libri fini adnexa, quae Byzantinorum additamenta prorsus delevit. Codicem vero manu scriptum habuit nullum, nec illum quidem — S —, de quo supra dixi. Hunc depravatum editionis Parisinae textum etiam codex praebet 2540 (I).

Ut igitur brevi conspectu, quae ratio sit nostrorum codicum, repetamus, hunc addimus indicem:

I. Editio Florentina.	II. Editio Parisina.
|	|
M.	1) pura
	D (ABF + Φ.
	D (2) interpolata
	D (CEGHS.
	3) depravata
	I, textus vulgatus.

Sed antequam, quae ex his subsidiis in nostram rem convertimus, enumeremus, pauca de inedita tactica (*τέχνη τακτική*) adjicere placet, quae Asclepiodoti philosophi nomine inscribitur. Fecit ejus libri ut in bibliothecis hic illic latentis mentionem Fabricius biblioth. Gr. II, p. 571. 767. VI, p. 485. X, p. 491 ita, ut ipsum nomen incertum videretur, quippe pro quo etiam Asclepiodori legatur. In tribus vero Parisinis codicibus — 2522 (A), 2435 (B), et 2528 (C), qui Salmasii manu scriptus duobus aliis praestat — chartaceis, saec. XVI, inscriptio praefertur haec: *Ἀσκληπιοδότου φιλοσόφου τακτικὰ κεφάλαια*, cui duodecim, ex quibus libellus constat, capitum index adnectitur — vid. infra p. 12 sq. —, tum primum caput inscribitur: *Τέχνη τακτική. Περὶ τῆς φάλαγγος διαφορᾶς.* Asclepiodotos philosophos tres, quantum scio, novimus, unum Stoicum, Posidonii celeberrimi illius Syri, qui Rhodi Ciceronis et Pompeji temporibus summa cum laude docebat, auditorem, qui teste Seneca natur. quaest. VI, 17, 3 de quaestionum naturalium causis scripsit; tum „magnum« illum, Neoplatonicum, Procli discipulum, naturae scrutatorem, medicum, thaumaturgum, de quo multus est Damascius, cujus magister fuit, in vita Isidori apud Phot. biblioth. p. 343. B. sqq. ed. Bekker., excerptus ille a Suida s. v.; postremo hujus ipsius gener, memoratus ibid. p. 346. B. 6. Praeterea Asclepiodotus quidam testis allegatur a Vopisco Aurel. 44 judicii Diocletiani de Aureliano dicti, quem virum propter hunc ipsum locum calidius quam callidius inter historicos retulit Carolus Müllerus in utilis-

sima fragmentorum historicorum collectione, quae prodiit apud Didotium, III, p. 665, cum paullo cautius Fabricius biblioth. Gr. II, p. 54 de eo adnotasset: „Sed alius, qui sub Diocletiano vixit et ejus res consignasse videtur, ut conjicere licet e Vopisco.« Sine dubio Asclepiodotus ille non alius est atque is, quem idem Vopiscus Prob. 22 cum Diocletiano et aliis inter »praeclarissimos duces« memorat »ex Probi disciplina institutos, quos patres«, inquit, »nostri mirati sunt.« Hinc probabilius videtur, testimonium illud Asclepiodoti non ex aliquo ejus scripto, sed ex ipso ducis sermone petitum esse. Postremo, ne quis ejusdem nominis desideretur, Asclepiodoti nescio cujus illud fertur epigramma, quod „Memnonis colosso una cum auctoris nomine insculptum« et a Pocockio primum editum nunc in Anthol. Pal. Append. 16 legitur.

Ex his Asclepiodotis mihi quidem vix dubitari posse videtur quin primus ille, Posidonii auditor, nostri libelli auctor habendus sit. Percommode enim accidit, quod ipse Posidonius ab Aeliano c. 1 inter scriptores militares recensetur his verbis: *ὁ δὲ στωικὸς Ποσειδώνιος καὶ τέχνην τακτικὴν ἔγραψεν*, id quod paullo accuratius in Arrianea recensione hoc modo traditur: *Ποσειδώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος καὶ τέχνην τινὰ τακτικὴν συγγράψας κατέλιπεν*, quod verbum haud scio an ita capiendum sit, ut Posidonius scripsisse quidem dicatur, nec tamen ipse edidisse artem suam tacticam, quam relictam edere potuit Asclepiodotus. Certe eum in scriptis suis a praeceptore pependisse fortasse haud inepte ex Senecae l. c. concluseris, ubi cum legitur de vento e terrae parte motu dirupta fluente: »apud Asclepiodotum invenies, auditorem Posidonii, in his ipsis quaestionum naturalium causis«; videtur sane innui, illam naturalem observationem ab Asclepiodoto ex magistri ore haustam esse.

Sed utcunque de auctore libelli statuitur, si ipsius rationem atque indolem spectamus, convenit illi et in rebus et in nominibus verbisque et in ordine fere cum Arriano et Aeliano, ita tamen, ut propriam argumenti tractationem constanti unius hominis judicio susceptam agnoscamus, quae integra atque sincera et interpolationibus et lacunis libera ad nos pervenerit. Etenim auctor operam dedit, ut omnibus aut orationis ornamentis aut historicis additamentis aut praefandi interfandive ambagibus detractis ipsa tantum artis praecepta breviter et succincte comprehenderet; lectoribus vero suam doctrinam et bene distinguendo et figuras e literis componendo, ubi opus videretur, illustraret. Et illud quidem argute interdum potius quam acute instituit,

[t]) Sic C; δετεπαγωγὴν ορευομένων (sic!) AB. [u]) ὀρθία ἑτερόστομος libri. [v]) Sic C; οἴονται ἔπειτα αὐτὰ AB. [w]) γὰρ libri. [x]) [xx]) τότε libri. [y]) Sic C; μει ει (sic!) AB.

[a]) τετραμερία BC; τετραμερίας A. [b]) τετράπλευραν libri. [c]) [cc]) τότε libri. [d]) Sic C; στόμα AB. [e]) δὲ om BC. [f]) πεπλεγμένα — μέν] πεπλεγμένα δὲ tantum libri. [g]) πορεύεται libri. [h]) In C incertum, num νοειδῆ an νεειδῆ an ὑοειδῆ an ὑεειδῆ sit; νοειδῆ AB. [i]) Sic C, „ut videtur;“ ἐπαρμένα AB. [k]) Sic C; παραλληλόγραμμα AB. [l]) γονίαις libri. [m]) In C om καὶ ὁ τούτων δὲ τύπος ἐκ τῆς ὑπογραφῆς ἔσται φανερόν.

Π Α Ρ Α Γ Ω Γ Η,

quae est *πορεία φάλαγγος*, fit

A) ΚΑΘ ΟΛΗΝ

- a) *πλαγία*
  - α) *κατ' ὀρθόν*
  - β) *ἐπ' οὐράν*
- b) *ὀρθία*
  - α) *δεξιά*
  - β) *ἀριστερά*
- c) *λοξή*
  - α) *δεξιά*
  - β) *λαιά*
- d) *κυρτή*
- e) *κοίλη*
- f) *ἐπικάμπιος*
  - α) *εἰς τοὐπίσω*
  - β) *εἰς τὸ πρόσω*

B) ΚΑΤΑ ΜΕΡΗ

𝔄) *κατὰ κέρατα*

- a) *πλάγια*
  - α) *κατ' ἐπαγωγήν*
    - a) *ὁμοιόστομος*
    - b) *ἀμφίστομος*
  - β) *κατὰ σύζευξιν*
    - a) *ὁμοιόστομος δεξιά*
    - b) *ὁμοιόστομος λαιά*
    - c) *ἀντίστομος*
    - d) *ἀμφίστομος*
- b) *ὄρθια*
  - tantum *κατ' ἐπαγωγὴν ἑτερόστομος*
- c) *λοξά*
  - α) *κοιλέμβολος*
  - β) *ἔμβολος*

𝔅) *κατὰ τετραμερίαν*

τετράπλευρον περίστομον

- a) *ἑτερόμηκες*
- b) *τετράγωνον*

ℭ) *κατὰ πλείω μέρη*

- a) *πεπλεγμένα*
- b) *ἐσπαρμένα*

Quae in his singula deprehenduntur partim satis mira, ea excutere non est hujus loci. Itaque obiter tantum notaverim certe veram agminis »peplegmeni« illius rationem hinc explicari posse, ex quo contortam et prorsus monstrosam imaginem aciei in serpentis gladiive flammiformis speciem sinuatae ex Aeliano cap. XLVIII et lexico militari sibi confinxerunt: vid. figuras apud Gesnerum p. 599, Arcerium p. 168, Baumgaertnerum (»Vollständige Sammlung aller Kriegsschriftsteller der Griechen« — Mannheim 1779) tab. III, fig. 9.

Jam quomodo ea, quae pro sinceris Aeliani verbis in editionibus et editionis Parisinae codicibus a cap. XXXVI—XLVIII leguntur, e variis diver-

sorum auctorum foetibus conflata sint, demonstrabo ita, ut illa separata pro diversa singulorum natura e regione componam. Separari autem et possunt et debent non minus quinque classes diversae et originis et indolis. Sunt vero hae:

prima genuina continet Aeliani verba, quae veluti „rari nantes in gurgite vasto“ naufragi interpolationum fluctibus obruebantur: comparanti ea cum pleno textu supra exhibito non multum mutationis passa esse apparebit; litera A insignivi, quaecunque ex ceterorum farragine commode eximi poterant; quae ei ut nimis implicita relinquenda erant, majoribus literis scribenda curavi.

altera, quam litera B notavi, interpolatoris est non indocti, qui potiorum agminum ab Aeliano descriptorum usum explicandum sibi sumpserat ita, ut opposita sibi quaeque componeret; quaedam, ut orthiam epagogam et phalangem peristomum atque peplegmenam, ex Asclepiodoto similive libro admiscuit. Patet autem ipso illo studio ex agminibus acies factas esse.

tertia classis quinque capita continet a cap. XLIII—XLVII, in quibus binae semper acies, una equitum peditum altera, sibi invicem opponuntur. Hic locus, cujus pars aliquam cum Aelianeis de re equestri, pars cum Asclepiodoti de agmine instituendo praeceptis modo descriptis cognationem habet, ab initio nihil commune cum Aeliani tactica habuisse, sed singularis cujusdam libelli fragmentum esse et propter argumenti similitudinem cum interpolatione B compositum videtur. Haec capita, quae per se spectata corruptelis satis vacant, hic iterum describere non opus putavi, prasertim post ea, quae jam nuper p. 18 sq. de iis monui. Hominem et recentem et ineptum esse satis coarguit ridicula illa de Ileone et Jasone fabula!

quarta classis consarcinatori adtribuenda est, qui, cum sibi proposuisset, quaecunque primae secundae et tertiae classis essent, in unum quasi corpus conjungere, singulas partes non solum transponendo conglutinare, sed etiam suae manus additamentis planiores et pleniores efficere studuit. Et haec litera C instruxi et quae ad

quintam classem pertinent scholia varia et glossae — quod genus non ubique a consarcinatoris verbis tuto discerni potest —, ubicunque illa per se poni poterant; quod ubi non licebat, uncinis et minusculis literis usus sum. Apertissima quaeque quintae classis in notas ablegavi.

A

XXXVI, 1. Περὶ πορειῶν μέλλοντες λέγειν τοσοῦτον προεροῦμεν, ὅτι ἡ μὲν ἐν ταῖς πορείαις ἐστὶν [ὀρθία] ἐπαγωγή, ἡ δὲ παραγωγή [ἢ ἐν δεξιᾷ ἢ ἐν εὐωνύμῳ].

4. καὶ ἐπαγωγὴ μέν ἐστιν, ὅταν τάγμα τάγματι ἐπακολουθῇ, οἷον ξεναγίας προηγουμένης αἱ λοιπαὶ ξεναγίαι ἕπωνται, ἢ τετραρχίας προπορευομένης αἱ λοιπαὶ ἐπακολουθῶσι [κατὰ τάγμα].

XXXVII. 1. Παραγωγὴ δέ, ὅταν ἡ φάλαγξ τοὺς ἡγεμόνας [ἤτοι τοὺς λοχαγοὺς] ἢ ἐκ δεξιῶν ἔχῃ παράγοντας, ὃ καλεῖται δεξιὰ παραγωγή, ἢ ἐξ εὐωνύμων, ὃ λέγεται· εὐώνυμος παραγωγή [οὐκέτι κατὰ λόχους ἀλλὰ κατὰ ζυγὰ ἐπὶ κέρας πορευομένη].

XXXVI, 2. Καὶ ἢ ἐν μονοπλεύρῳ ἢ διπλεύρῳ ἢ τριπλεύρῳ ἢ τῷ τετραπλεύρῳ τάγματι βαδιεῖ· μονοπλεύρῳ μέν, ὅταν ἕνα φοβῆται, διπλεύρῳ δέ, ὅταν δύο, τριπλεύρῳ δέ, ὅταν τρεῖς, τετραπλεύρῳ δέ, ὅταν πάντοθεν οἱ πολέμιοι ἐπιθέσθαι θέλωσι.

XXXVII, 2. [ἡ δὲ καὶ ἐν διπλεύρῳ ἢ τριπλεύρῳ

B

Περὶ ὀρθῆς ἐπαγωγῆς

XXXVI, 5. Καλεῖται δὲ οὕτως, ὅταν ἐπὶ κέρας πορεύηται πολλαπλάσιον ἔχουσα τὸ βάθος τοῦ μήκους.

6. πρὸς ταύτην ἀντιτάττεται ὁ κοιλέμβολος· γίνεται δὲ οὕτως· ὅταν ἡ ἀντίστομος διφαλαγγία τὰ μὲν ἡγούμενα κέρατα διαστήσῃ, τὰ δὲ ἑπόμενα συνάψῃ ἐν σχήματι του Υ στοιχείου, ὡς διδάσκει ἡμᾶς ἡ καταγραφὴ ἔχουσα τοὺς μὲν πρώτους διεστῶτας, τοὺς δὲ τελευταίους συνημμένους.

7. τῆς γὰρ ὀρθίας ἐπαγωγῆς κατὰ τοῦ μέσου τῶν ἐχθρῶν φερομένης ἑτοίμως ἔχουσιν οἱ τοῦ κοιλεμβόλου διαλύσαντες τὴν ἕνωσιν κενῶσαι μὲν τὴν προσβολὴν τῆς πρώτης δυνάμεως, χωρῆσαι δὲ κατὰ τῶν πλαγίων μερῶν τῆς ὀρθίας ἐπαγωγῆς.

8. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἡ τριφαλαγγία ἀντιτάττεται τῷ κοιλεμβόλῳ, τῆς μὲν μιᾶς φάλαγγος μαχομένης τῷ ἑνὶ κέρατι, τῆς δὲ δευτέρας τῷ ἄλλῳ, τῆς δὲ μέσης καὶ τρίτης ἀναμενούσης τὴν προσβολήν.

XXXVII, 3. ἀμφότεραι δὲ ἐκ πλαγίων τὴν πρώτην προσβολὴν ποιούμεναι τὸ μὲν μῆκος διπλάσιον ἐποίησαν τοῦ βάθους· δεῖ δὲ ἐθίζεσθαι τὸν στρατιώτην μὴ μόνον τὰς ἐπ' εὐθείας ἀλλὰ καὶ τὰς ἐκ πλαγίου μεμελετημένας δέχεσθαι προσβολάς.

C

A

ἢ καὶ ἐν τετραπλεύρῳ τὰς φάλαγγας ποιησαμένη, ὅθεν ἂν καὶ ἐξ ὁπόσων μερῶν τὸ πολέμιον ὑποπτεύηται, βαδιεῖται.]

XXXVI, 3. *Καὶ διὰ τοῦτο* γίνονται αἱ πορεῖαι ποτὲ μὲν μονοφαλαγγία, ποτὲ δὲ διφαλαγγία ἢ τριφαλαγγία ἢ τετραφαλαγγία.

XXXIX, 5. Ἀμφίστομος φάλαγξ ἔχει μὲν τοὺς ἡμίσεις τῶν ἐν τοῖς λόχοις ὁπλιτῶν ἔμπροσθεν, τοὺς δὲ ἑτέρους ἀπεστραμμένους εἰς τοὐπίσω, ὡς ἀντινώτους ἀλλήλοις γενέσθαι. [ἐν αὐτῇ δὲ δύο στόματα, ἔμπροσθέν τε, ἐν οἷς οἱ λοχαγοί, καὶ ὄπισθεν, ἐν οἷς οἱ οὐραγοί.]

B

Περὶ ἀμφιστόμου φάλαγγος.

XXXVIII, 1. Ἀμφίστομος φάλαγξ· *λέγεται γὰρ οὕτω διὰ τὸ δύο στόματα ἔχειν· ἐπεὶ οὖν ἐν τούτῳ τῷ σχήματι οἱ μὲν μέσοι ἀντίνωτοί εἰσιν, οἱ δὲ ἐν ταῖς* ἀρχαῖς *προσβάλλουσι τοῖς πολεμίοις, ὥστε τοὺς μὲν εἶναι πρωτοστάτας, τοὺς δὲ οὐραγούς, διὰ τοῦτο ταύτην ἔσχε τὴν ὀνομασίαν. 2. ἔστι δὲ χρησιμοτάτη πεζοῖς, ὅταν πρὸς πολεμίους μάχωνται πολλὴν τὴν ἱππικὴν παράταξιν ἔχοντας καὶ κατελαύνειν δυναμένους. 3. τάττεται δὲ τὸ τοιοῦτον σχῆμα μάλιστα πρὸς τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον βαρβάρους, οὓς καὶ* ἀμφίππους ἔλεγον ὡς εἰθισμένους μεταβαίνειν ἀπὸ ἄλλων εἰς ἄλλους ἵππους. *4. τὸ δὲ ἀντιπαρατεττόμενον ἱππικὸν τάγμα τετράγωνον ἔχον σχῆμα πρὸς τὴν χρείαν ἐμερίσθη εἰς δύο τάξεις ἑτερομήκεις· ἑκάτεραι δὲ αὐτῶν πρὸς τὰς τῶν πεζῶν διαιρέσεις ἀντιπαρατάττονται.*

C

Περὶ ἀντιστόμου φάλαγγος.

1. *Ἀντίστομος φάλαγξ· λέγεται γὰρ οὕτω διὰ τὸ δύο στόματα ἔχειν·* **[στόμα γὰρ λέγονται οἱ πρῶτοι ἐπὶ τοὺς πολεμίους πορευόμενοι.]** *ἐπεὶ οὖν ἐν τούτῳ τῷ σχήματι οἱ μὲν μέσοι ἀντίνωτοί εἰσιν, οἱ δὲ ἐν ταῖς ἀρχαῖς προσβάλλουσι τοῖς πολεμίοις, ὥστε τοὺς μὲν εἶναι πρωτοστάτας, τοὺς δὲ οὐραγούς, διὰ τοῦτο ταύτην ἔσχε τὴν ὀνομασίαν. 2. ἔστι δὲ χρησιμοτάτη πεζοῖς, ὅταν πρὸς πολεμίους μάχωνται πολλὴν τὴν ἱππικὴν παράταξιν ἔχοντας καὶ κατελαύνειν δυναμένους. 3. τάττεται δὲ τὸ τοιοῦτον σχῆμα μάλιστα πρὸς τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον βαρβάρους, οὓς καὶ ἀμφίππους ἔλεγον ὡς εἰθισμένους μεταβαίνειν ἀπὸ ἄλλων εἰς ἄλλους ἵππους* **[ὃ νῦν Βουλγάροις σύνηθες καὶ Τούρκοις καὶ Πατζινακοῖς].** *4. τὸ δὲ ἀντιπαρατεττόμενον ἱππικὸν τάγμα τετράγωνον ἔχον σχῆμα πρὸς τὴν χρείαν ἐμερίσθη εἰς δύο τάξεις ἑτερομήκεις·* **[ἑτερομήκεις δ' εἰσὶν αἱ τὸ στόμα τοῦ βάθους ἔχουσαι**

A

B

C

διπλάσιον.] ἑκάτεραι δὲ αὐτῶν πρὸς τὰς τῶν πεζῶν διαιρέσεις ἀντιπαρατάττονται.

Περὶ ἀμφιστόμου φάλαγγος.

XXXIX', 1. Ἀμφίστομος δὲ φάλαγξ ὁμοία ἐστὶ καὶ αὐτὴ τῇ ἀντιστόμῳ συνηλλαγμένου τοῦ στόματος, ὥστε πρὸς τὸ εἶδος τῶν ἱππικῶν ἐπιδρομῶν ἐθίζεσθαι. **2.** ἁρμόζει δὲ καὶ ἐπὶ τούτου τοῦ σχήματος πάντα τὰ περὶ τῆς προτέρας φάλαγγος εἰρημένα πεζικῆς τε καὶ ἱππικῆς.

3. διαφέρει δὲ κατὰ τοῦτο τῆς ἀντιστόμου, ὅτι ἡ μὲν ἀντίστομος ἐξ ἄκρων ἔχει τὰς μάχας, ἡ δὲ ἀμφίστομος ἐκ πλαγίων. **4.** καὶ οἱ ἐν ταύτῃ τε τῇ τάξει καὶ οἱ ἐν τῇ πρὸ ταύτης τεταγμένοι μεγάλοις δόρασι μάχονται, ὡς Ἀλανοὶ καὶ Σαυρομάται.

XXXIX, 6. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ εἰς διφαλαγγίαν διαιρουμένη τὸ μὲν ἔμπροσθεν στόμα διὰ τῆς μιᾶς ποιεῖται φάλαγγος, τὸ δὲ ὄπισθεν διὰ τῆς ἑτέρας.

Περὶ ἀμφιστόμου διφαλαγγίας.

XLI, 1. Ταύτης αἱ φάλαγγες κατὰ παραγωγὴν ἐπὶ κέρως πορευόμεναι, ἡ μὲν ἐν δεξιᾷ λοξῇ παραγωγῇ ἔχει τοὺς ἡγεμόνας, ἡ δὲ ἐν εὐωνύμῳ λοξῇ, τοὺς οὐραγοὺς ἔνδοθεν ἔχουσα. **2.** ἐπειδὴ γὰρ ἡ προσβάλλουσα τάξις πάλαι τετράγωνος

A | B | C

οὖσα ἐμερίσθη ἑαυτὴν εἰς δύο λοξὰ κέρατα, τό τε δεξιὸν καὶ τὸ εὐώνυμον, κυκλῶσαι θέλουσα τὴν ἀνθισταμένην ἐν τετραγώνῳ τάγματι, διὰ τοῦτο οἱ μέλλοντες κυκλοῦσθαι εἰς δύο φάλαγγας κινουμένας μετεσχημάτισαν ἑαυτούς, καὶ οἱ μὲν αὐτῶν πρὸς τὸ εὐώνυμον ἐστράφησαν κέρας, οἱ δὲ πρὸς τὸ δεξιὸν μετεστράφησαν, ὅθεν καὶ ἀμφίστομος ἐκλήθη, ἀμφοτέρωθεν ἔχουσα πρὸς τοὺς πολεμίους στόμα νενευκός.

Περὶ ἀντιστόμου διφαλαγγίας.

LX, 1. ***Ἀντίστομος διφαλαγγία*, ἥτις τοὺς ἡγεμόνας** οὐκέτι ἐκτὸς ἐν παραγωγαῖς, **ἀλλ' ἐντὸς ἔχει ἀπ' ἐναντίας ἀλλήλων παρατεταγμένους, τοὺς δὲ οὐραγοὺς ἐκτός, τοὺς μὲν ἐν δεξιᾷ παραγωγῇ, τοὺς δὲ ἐν εὐωνύμῳ.** 2. γίνεται δὲ τὸ σχῆμα τοῦτο, ὅταν ἱππικὴ προσβολὴ ἐμβολοειδὴς ᾖ. 3. τοῦ γὰρ ἐμβόλου εἰς ὀξὺ λήγοντος καὶ ἔχοντος ἀκολουθοῦντας ἐκ πλαγίου τοὺς ἡγεμόνας καὶ διατεμεῖν προθυμουμένους κατὰ τοῦ μετώπου τὴν πεζικὴν τάξιν, προορῶντες οἱ τῶν πεζῶν ἡγεμόνες ἐν τῷ μέσῳ ἵστανται ἢ κωλῦσαι ὀφείλοντες αὐτῶν τὴν εἴσοδον ἢ ποιῆσαι αὐτοὺς ἀπράκτους παρελθεῖν. 4. οἱ μὲν γὰρ ἐν τοῖς ἐμβόλοις ὁρμῶσιν ἐπ' ἐλπίδι τοῦ καταγωνίσασθαι τὸ μέσον

A

XLII, 5. Ὁμοιόστομος διφαλαγγία, ὅταν αἱ φάλαγγες παραπορευόμεναι ἀλλήλαις ἢ ἐν δεξιᾷ παραγωγῇ ἔχωσιν ἀμφότεραι τοὺς ἡγεμόνας, ἢ ἐν εὐωνύμῳ.

6. Ἑτερόστομος φάλαγξ, ἥτις κατ' ἐπαγωγὴν πορευομένη τοῦ μὲν ἡγουμένου τάγματος τοὺς ἡγεμόνας ἔχει, ὡς εἰκός, ἐν δεξιᾷ παραγωγῇ, τοῦ δὲ ἑπομένου ἐν εὐωνύμῳ, ὡς πορεύεσθαι τὰ τάγματα ἐναλλάξ, τὸ μὲν ἔχον ἐν θατέρῳ μέρει τοὺς ἡγεμόνας, τὸ δὲ ἐν τῷ ἄλλῳ καὶ ὁμοίως τὰ λοιπά.

B

πλῆθος καὶ τοῦ τάραχον ἐμποιῆσαι τῷ τάγματι. 5. οἱ δὲ τῶν πεζῶν στρατηγοὶ νοοῦντες τὴν ὁρμὴν τοῦ σχήματος ἐκείνου τοίχους ἑκατέρωθεν μιμησάμενοι καὶ μικρὸν ἑαυτοὺς διαστήσαντες καὶ συννεύοντες κατὰ τοῦ μέσου κενὴν αὐτοῖς διδόασι τὴν πάροδον. 6. τὸ δὲ τοιοῦτον ἱππικὸν τάγμα παρὰ τοῖς τακτικοῖς ἔμβολος καλεῖται, ὃ ἐξεῦρε Φίλιππος ὁ τῶν Μακεδόνων βασιλεὺς τοὺς ἀνδρειοτάτους προτάξας, ἵνα δι' αὐτῶν συνεργῶνται καὶ οἱ ἀσθενέστεροι, ὃν τρόπον ἐπὶ τῆς λόγχης καὶ ἐπὶ τοῦ ξίφους ὁρῶμεν τῷ κατὰ ἄκρα ἐστομωμένῳ καὶ εὐκόλως τέμνοντι δι' ὀξύτητα συνεισιόντα καὶ τὸν μέσον ἀργὸν σίδηρον.

Περὶ περιστόμου φάλαγγος

XLII. (Περίστομος ἐκλήθη ἡ πανταχόθεν ἔχουσα πρὸς τοὺς πολεμίους στόμα νενευκός). 2. ἀντίκειται δὲ αὕτη τῷ πλινθίῳ· λέγεται δὲ πλινθίον τάγμα ἰσόπλευρον καὶ τῷ σχήματι καὶ τῷ ἀριθμῷ, σχήματι μέν, ὅτι πανταχόθεν ἴσα ἔχει τὰ διαστήματα, ἀριθμῷ δέ, ὅτι ὅσους ἔχει τὸ μῆκος, τοσούτους καὶ τὸ βάθος. 3. ἐν δὲ τῷ τοιούτῳ τάγματι ἐκ τῶν τεσσάρων πλευρῶν ὁπλῖται παρατάττονται, οὔτε τοξότου οὔτε σφενδονήτου τοῖς πλευροῖς συγκάμνοντος.

C

Ὁμοιόστομος φάλαγξ.

XLII, 1. οὕτω καλεῖται αὕτη, ὅτι λόχου τελείου κινουμένου κατὰ πλαγίων [τουτέστιν ἀνδρῶν ις'] ὄπισθεν ὁμοίως λόχος αὐτῷ ἕπεται, διὸ καὶ ὁμοιόστομος κέκληται, ὅτι καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες αὐτοῖς ἐν ὁμοίῳ σχήματι ἕπονται.

A

7. (*Πλινθίον λέγεται, ὅταν ἐκ δ' πλευρῶν τέσσαρσιν ἴσαις φάλαγξι παρατάξηταί τις, ὡς εἶναι τὸ περιεχόμενον χωρίον τετράγωνον.*)

XLVIII, 4. *Πλαίσιον λέγεται, ὅταν ἐκ δ' πλευρῶν γένηται ἡ παράταξις, οὐκ ἐν τετραγώνῳ, ἀλλ' ἐν ἑτερομήκει σχήματι.*

B

Περὶ πλαισίου.

XLVIII, 1. *Τοῦτο πολλαπλάσιον ἔχει τὸ βάθος τοῦ μήκους ἢ τοῦ βάθους τὸ μῆκος, πλαίσιον δὲ λέγεται, ὅταν ἐκ πάντων τῶν πλευρῶν ὁπλῖται ὦσι τῶν τοξοτῶν καὶ σφενδονητῶν κατὰ μέσον τεταγμένων.* 2. *οἱ οὖν πρὸς τὸ τοιοῦτον ἀντιπαρατασσόμενοι σχῆμα τὴν πεπλεγμένην ἀντεπάγουσι τάξιν, ἵνα τῷ ἀνωμάλῳ ἰδίῳ σχήματι προτρέψωνται τοὺς ἐκ τοῦ πλαισίου κατὰ τῶν προεξεχόντων τῆς πεπλεγμένης τάξεως ὁρμῆσαι καὶ διὰ τοῦτο λύσωσι τὴν πύκνωσιν τῆς τοῦ πλαισίου τάξεως.* 3. *καὶ προορῶσι δὲ οἱ τῆς πεπλεγμένης λοχαγοὶ τοὺς ἐξ ἐναντίας ἡγεμόνας, ἵνα, ἐάν τε πεπυκνωμένοι ὦσι, καὶ αὐτοὶ οὕτως ἀντιμάχωνται, ἐάν τε μερίζωσιν ἑαυτοὺς μετὰ τῆς ἰδίας δυνάμεως, προϋπαντήσωσιν αὐτοῖς καὶ αὐτοὶ πρὸς μερισμὸν ηὐτρεπισμένοι.*

C

4. [*ἔστι δὲ τοῦτο τὸ πλινθίον ἐκ δύο διμοιριῶν· τὸ γὰρ ἥμισυ τοῦ λόχου διμοιρία καλεῖται· ὀφείλοντος γὰρ τοῦ λόχου ἔχειν ις' ὀκτὼ ἄνδρας ἔχει ἡ διμοιρία.*]

Ad A. **XXXVI, 1.** **Piget paene adscribere capitis indicem, qualis apud Gesnerum legitur, per saturam plura etiam, quam quae hoc capite leguntur, comprehendentem:** *περὶ πορειῶν τοῦ στρατοῦ, καὶ περὶ ὀρθίας ἐπαγωγῆς, καὶ παραγωγῆς ἢ ἐν δεξιᾷ ἢ ἐν εὐωνύμῳ, καὶ ὅτι πρὸς ὀρθίαν ἐπαγωγὴν ἀντιτάττεται ὁ κοιλέμβολος, πρὸς τοῦτον δὲ ἡ τριφαλαγγία.*

1. Ante *ἐπαγωγή* **quod legitur** *ὀρθία*, **additamentum est consarcinatoris. Ejusdem**

verba illa ἢ ἐν δεξιᾷ ἢ ἐν εὐωνύμῳ esse arbitror uncinis seclusa, quae non esse genuina vel usus arguit, quo παραγωγὴ δεξιά, non παραγωγὴ ἐν δεξιᾷ dicitur. Causa, propter quam verba intruderet, haec erat, ut jam initio in paragogae definitionem longa interpolatione separatam digitum intenderet: cfr. ad XXXVII, 2.

4. Post ἐπαγωγή vulgo iterum legitur ὀρθία. Vox ipsa ἐπαγωγή in D corr. ex ὑπαγωγή. τάγματι] τῷ τάγματι A. In A constanter indicativi leguntur: ἐπακολουθεῖ — ἕπονται — ἐπακολουθοῦσι. Quod in fine legitur κατὰ τάγμα aeque atque additamentum illud ex § 5 remotum, ea intrusa sunt ab homine, qui illud τάγμα τάγματι non intelligeret. Sane vox illa, quam hic generalioris esse significatus quivis videt, Byzantinorum usu pro syntagmate dici coepta est. Hinc inepte aliam sibi eamque minoris ambitus significationem effinxit.

XXXVII, 1. Inscriptionem hanc praefert Gesnerus: Περὶ παραγωγῆς δεξιᾶς τε καὶ εὐωνύμου, pro qua in A ὀρθὴ παραγωγὴ ἐν δεξιᾷ καὶ ὀρθία ἐν εὐωνύμῳ legitur.

1. κατὰ ζυγὰ ἐπὶ κέρως D. πορευομένη] Sic A D Φ; vulgo πορευομένους.

XXXVI, 2. ἢ τριπλεύρῳ om AD. βαδιεῖ] Sic A; vulgo βαδιεῖται. τρεῖς] Sic D et Φ marg., vulgo τρία. θέλωσι] Magnopere vereor, ne hic quoque μέλλωσι olim scriptum fuerit.

XXXVII, 2. ἡ δὲ καὶ] Vulgo ἢ γάρ; A ἢ γὰρ καί. ποιησαμένη] Sic AD; vulgo ποιησαμένους. καὶ ante ἐξ ὁπόσων om A. Repetitionem a consarcinatore illatam esse patet, qui post tam multa interjecta diserte monendum esse putaret, etiam paragogam ut a simplicibus ita a binorum, ternorum, quaternorum laterum phalangibus exerceri posse. Cfr. ad XXXVI, 1.

XXXVI, 3. καὶ διὰ τοῦτο etc.] En tenemus consarcinatorem ignorantiae convictum, quippe a quo res diversae — τάγματα μονόπλευρα atque μονοφαλαγγία et sic etiam cetera agmina — commisceantur. ποτὲ δὲ διφαλαγγία] ἢ διφαλαγγία A.

Ad B. XXXVI, 5–8. Quam praefixi inscriptionem περὶ ὀρθῆς ἐπαγωγῆς, eam ex A deprompsi, ubi paullo ante § 4, h. e. ante verba καὶ ἐπαγωγὴ ὀρθία μὲν legebatur.

5. πορεύεται A. Post μήκους vulgo legitur ineptum glossema: ἔχει δὲ τὸ τάγμα δύο λόχους ἀπὸ δέκα ἀνδρῶν.

6. ἀντίστομος φαλαγγία Φ.

7. ἕνωσιν et tum κατνώσαι A.

XXXVII, 3. Jam et conjunctis et sejunctis, quae et conjungi et sejungi debebant, non opus est multis illustrare, quae satis jam clara videntur. Ambas illas phalanges intelligit triphalangiae, quae dextro et sinistro coelemboli cornu oppositae, cum antea per epagogam incessissent, nunc aciei longitudinem extendunt. Quod pro διπλάσιον in E legitur τριπλάσιον, non dubito quin cognatum sit cum ineptissimo glossemate, quod post βάθους vulgo infercitur. Est vero hoc: δέκα μὲν γὰρ ἔχει τὸ στόμα, τρεῖς δὲ τὸ βάθος. τοῦτο δὲ τὸ τῆς μάχης ἐστὶ σχῆμα. Sed postrema verba unde irrepserint, optime ex Φ intelligitur, de quo audi Hunzikerum scitissime suo more referentem: »Das Sätzchen τοῦτο — σχῆμα ist nicht als Textesfortsetzung geschrieben, sondern mit rother Dinte in der Mitte der Seite, offenbar als Unterschrift einer Figur, für die der Raum offen gelassen ist, und zu beiden Seiten des leeren Raumes, ebenfalls mit rother Dinte, steht rechts: ὀρθία ἐνδεξιὰ (so!) παραγωγὴ κατὰ ζυγὰ πορευομένη; links ὀρθία εὐώνυμος παραγωγὴ οὐκέτι κατὰ

λόχους ἀλλὰ κατὰ ζυγὰ πορευομένη." Jam vides, cur etiam verba illa XXXVII, 1 *οὐκέτι — πορευομένη* uncinis sepserim. Quae vero antecedit glossa *δέκα — βάθος*, quae quam inepta et a Graecorum militia aliena sit neminem fugit, eundem haud dubie habet auctorem atque eum, qui supra XXXVI, 5 suam de tagmate doctrinam inseruit. Sed quid est, quod ille ternarium, non quinarium numerum aciei altitudini adtribuit? Quod, sequentibus etiam XXXVIII, 4 transvorsus actus, obscuram in animo fovebat memoriam canonis equestris, quo supra XVIII, 6 noveni equi in fronte ternis ordinibus collocari jubentur.

δεῖ δὲ ἐθίζεσθαι] Vulgo *διὰ τὸ ἐθίζεσθαι*, sed *διὰ τοῦτο ἐθίζεσθαι δεῖ* margo Φ. Ejectis glossis restitui debebat, quod opponeretur illi *τὸ μὲν μῆκος* etc. *τὰς* ante *ἐπ' εὐθείας* a libris abest. *ἐκ πλαγίου*] Sic A et margo Gesneri; vulgo *ἐκπλαγίους*. *μεμελετημένας*] Sic A; vulgo *μεμελετημένως*, E *μεμελετημένον*.

Duo quae sequuntur capita, XXXVIII et XXXIX, inprimis apta sunt ad cognoscendum interpolationum modum, qui ultra modum in hoc libello grassatus est. Omnia, quae his capitibus continentur, si uno tenore leguntur, patet tamquam unius generis diversas species aciem antistomum et aciem amphistomum sibi opponi, consimiles eo, quod utraque binos frontes incursuris hostibus diversis ex partibus obvertat, dissimiles eo, quod antistomus in primo et novissimo agmine, amphistomus in utroque cornu frontium aciem instruat. Verum enim vero hanc doctrinam a vocum illarum grammatica notione non minus quam a militari usu alienam non interpolatoris esse, qui agmina singula suo modo illustranda sumpsit, sed inepti consarcinatoris, qui has illustrationes Aelianeo libro intulit, liquide potest demonstrari. Ac primum quidem, ut ab externis quae dicuntur argumentis faciamus initium, ne in codicibus quidem vestigia fraudulentae originis prorsus evanuerunt. Audi enim, quaeso, quae Hunzikerus de codice D refert: „Zu bemerken ist, dass das ganze Kapitel XXXVIII sowohl, wie es Gesner hat, im Text steht, als dann neben dem folgenden Kapitel nochmals als Randglosse, aber gestrichen". Tum in E ad caput XXXVIII legitur cum eodem indice — *πεζικὴ φάλαγξ ἀμφίστομος* — ea figura, quam Gesnerus, apud quem illud caput omni delineatione caret, capiti XXXIX suffigendam curavit; ad cap. XXXIX vero rursus eadem repetitur figura sed cum hac inscriptione: *πεζικὴ φάλαγξ ἀμφίστομος ἑτέρα*. Tum, ut ad rem ipsam accedamus, post ea, quae supra ex Asclepiodoto et ex Aeliano genuina posuimus, non opus est multis demonstretur, quod jam p. 32 breviter indicavi, antistomum phalangem, quemadmodum vox ipsa sua vi ostendit, nullam aliam esse posse, quam eam, in qua frontes, qui quidem ex ordinum ductoribus constant, ex adverso sibi sint positi. Quod cum omni usu careat — ita enim ipsi sociorum frontes tamquam adversarii juxta sibi opponerentur — diphalangiam tantum antistomum inter agmina recensitam invenimus, phalangem vero antistomum Utopiae legionibus relinquemus. At hoc cum noster homo non perspiceret, fortasse etiam falsa lectione *ἀντίστομος* jam et ipse deceptus, antistomum illam, quae nunquam nusquam fuit, phalangem explicandi periculum fecit, qua in re peropportune accidit, quod magister paullo obscurius sane locutus, quam Aelianus genuinus, vocabulis ambiguis *οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς* usus erat, quibus ille quidem extremos ordines mediis oppositos intelligi voluit, noster vero arctiori sensu eosdem tantum in primo et novissimo agmine collocatos — *ἐξ ἄκρων* — designari putavit, ut jam suae amphistomo phalangi hanc vindicaret proprietatem, ut in ea primi ordines utrimque latera tuerentur. Quasi vero in phalange,

quae in diversas partes binos frontes instructos habet, non hi ipsi tum confestim pro prima acie et tergo habeantur! His in universum praemissis ad singula transeo.

Ad B et C. Et in titulo *ἀντιστόμου* et in capitis initio *ἀντίστομος* vulgo legitur, quod ex nostra sententia a consarcinatore demum inventum et invectum est.

XXXVIII, 1—4. 1. *λέγονται*] om E. *πρωτοστάτας*] Ita ex necessaria Arcerii emendatione scripsi, quam eandem jam antea ipse feceram; vulgo *ἐπιστάτας*.

2. *πολεμίους*] *πολεμίοις* Φ. *μάχωνται*] *μάχονται* E.

3. *ἀπὸ ἄλλων εἰς ἄλλους ἵππους*] Ita ex A scripsi; vulgo *ἀπὸ ἄλλων ἵππων εἰς ἄλλους*. Amphippos supra habuimus in lexico militari p. 21 et 23. — Tum in A in textu additur: *ὃ νῦν τοῖς βουλγάροις σύνηθες καὶ τούρκων καὶ πατζινακῶν*, sed linea postea subducta notatum; hinc in Φ tantum in margine legitur, in D marg. hoc modo: *τοῦτο νῦν τοῖς βουλγάροις σύνηθές ἐστι καὶ τοῖς τούρκοις καὶ πεζιναικαῖς*; in H marg. *ὃ νῦν τοῖς βουλγάροις σύνηθες καὶ τουρκοῖς καὶ πατριναικοῖς*. B glossam omittit, quae consarcinatoris manu profecta videtur. Byzantinum auctorem fuisse e gentium, quas allegat, nominibus patet: ultima est, quam nostra lingua »Petschenegen« vocat.

Ad A. XXXIX, 5. *ἔχει μὲν*] Vulgo *ἔχει δὲ*. *ἀλλήλοις*] Vulgo *ἀλλήλαις*. *γενέσθαι*] Sic A; vulgo *γίνεσθαι*. tum idem codex *γεν. ἐν αὐτῇ. δύο* etc.

Ad C. XXXIX, 1. *Ἀμφίστομος δὲ φάλαγξ ὁμοία ἐστὶ*] Ita E; vulgo tantum *ἀμφίστομος φάλαγξ ὁμοία*. *αὐτῇ*] *αὐτῇ* A; *αὕτη* E. *συνηλλαγμένον*] Sic Φ; *ἐνηλλαγμένον* vulgo. *στόματος*] *σχήματος* vulgo; *σώματος* Φ. *ἐπιδρομῶν*] Sic Φ; vulgo *ἐπίδρομον*.

2. *περὶ τῆς προτέρας*] Vulgo *ἐπὶ τῆς προτέρας*.

4. *ταύτῃ τε*] *ταύτῃ δὲ* A; vulgo *ταύτῃ*. *πρὸ*] A *πρὸς*.

XLI. Etsi audacius primo adspectu factum videtur, quod contra libros et hoc caput ante XL statim capiti XXXIX postposui, et partem certe inscriptionis mutavi, tamen spero eorum me assensum impetraturum, qui rem accuratius pensitaverint. Ac primum quidem de amphistomo diphalangia re vera sermonem esse cum ex definitione, quam praemisit interpolator, patet comparata cum Aelianea, tum ex usu, quem ejus aciei esse docet contra circumvenientium hostium impetum, postremo ex verbis, quibus cum iterum ad nomen redit: *ἀμφοτέρωθεν ἔχουσα πρὸς τοὺς πολεμίους στόμα νενευκός*, satis apparet id ipsum nomen *ἀμφίστομος* fuisse, non *περίστομος*. Sed hujus quidem nominis acies ubi ponenda fuerit, mox ad c. XLII. videbimus. Hic vero si amphistomi diphalangiae ratio explicabatur, eam explicationem quivis vidit arctissime cum amphistomi phalangis doctrina conjungi debuisse. Et, en, ipsam illam conjunctionem diserte indicatam vides prioris sectionis epilogo XXXIX, 6: *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ εἰς διφαλαγγίαν διαιρουμένη τὸ μὲν ἔμπροσθεν στόμα* etc.

Qua vero causa impulsus fuerit consarcinator, ut c. XL, quo de antistomo diphalangia agitur, praemitteret, ne hoc quidem difficile est perspectu. Cum enim eo, quem deteximus, modo caput illud, quo amphistomi phalangis forma describebatur, ita amplificasset, ut primum antistomi, quam ipse confinxerat, phalangis, tum demum amphistomi

rationem exponeret, consequens erat, ut etiam de antistomo diphalangia praecepta prius, de amphistomo praecepta secundo loco addenda curaret. Jam ad singula transimus.

Inscriptio vulgo haec est: περὶ περιστόμου φάλαγγος. Sed in AH falso verum admixtum legitur hoc modo: περίστομος διφαλαγγία ἤτοι ἀμφίστομος.

1. ἐπὶ κέρως] Sic ADH; vulgo ἐπικαίρως. λοξῇ παραγωγῇ] Sic, quemadmodum emendaveram, etiam Φ marg.; vulgo λοξὴ παραγωγή, sed λοξὴ om D; et haud scio an hic et statim infra delendum sit. Quamquam ante oculos habere potuit Asclepiodoti subtilem doctrinam. λοξῇ] Ita Φ marg. Vulgo hic quoque λοξή.

Post ἔχουσα vulgo haec verba adduntur: δείκνυσι τὸ σχῆμα τῆς παρατάξεως τὰς ὁρμὰς τῶν πολεμούντων, quae unde irrepserint optime Φ docet, in quo non solum rubri coloris linea iis subscripta, sed etiam haec nota ad marginem adscripta est: παρεμβεβλημένα ἐκ τῆς καταγραφῆς τοῦ σχήματος.

Alia glossa explicandi vocabuli λοξή gratia in marg. A ad sinistram figurae cum Gesneriana p. 587 consentientis adscripta legitur haec: λοξὴ φάλαγξ εὐώνυμος· λέγεται δὲ λοξὴ ἡ θάτερον (θάτερα A) τῶν κεράτων τοῖς πολεμίοις προσαρμόζουσα καὶ δι' αὐτοῦ ἀγωνιζομένη, τὸ δὲ ἕτερον μικρὸν ὑποστέλλουσα. Eadem inde a verbis λέγεται λοξὴ ἡ etc. etiam in Φ marg. B marg. adjecta est. Novimus et qui te! — Vid. Ael. c. XXX. In D vero in vacuo figurae mediae spatio hoc modo scribitur: περίστομος φάλαγξ, τῶν κεράτων τοῖς πολεμίοις — δι' αὐτῆς — ὑποστέλουσα (sic!). En luculentum exemplum, quomodo in his turbatum sit!

2. γάρ ἡ] Sic A; ἡ sine γάρ vulgo; γάρ sine ἡ Φ. ἐστράφησαν] Vulgo ἐβάρησαν; Arcerius conjecit ἐβάδισαν. ἀμφίστομος] Vulgo περίστομος.

XL. Non mirum est hic quoque non consarcinatoris, sed librariorum, ut videtur, culpa turbas obortas esse. Vulgo titulus est περὶ διφαλαγγίας ἀμφιστόμου et initio capitis ἀμφίστομος διφαλαγγία legitur. Sed titulum omittit A, verum περὶ ἀντιστόμου διφαλαγγίας habet E, porro πεζικὴ φάλαγξ ἀμφίστομος D, qui tamen et ipse ut AE initio habet ἀντίστομος διφαλαγγία; hoc in H tituli vice fungitur. Res ipsa extra omnem dubitationem posita: interpolator paucis mutatis Aelianeam definitionem retinuit. Sed quod scripsit τοὺς ἡγεμόνας οὐκέτι ἐκτὸς ἐν παραγωγαῖς, ἀλλ' ἐντὸς ἔχει, id tam aperte ad suam amphistomi diphalangiae definitionem, quam modo habuimus, alludit, ut etiam hinc haud invalidum habeamus nostrae transpositionis argumentum.

3. τοῦ τάραχον] τάραχον vulgo, τάραχον τὸ („vel τεα) Φ.

5. κενὴν] καινὴν A, καὶ νῦν Φ.

6. συνεργῶνται] συνειργῶνται vulgo, συνέργοντε A, συνέργονται Φ. συνεισιόντα] συνιόντα E.

XLII. Etiam hoc caput pessime habitum est; nam et necessaria omissa et diversa inter se permixta sunt. Initio quae legitur phalangis homoeostomi definitio, eam consarcinator de suo finxit, cum in genuinis Aelianeis frustra eam quaereret. Ubi cur non commemorata sit, supra p. 32 diximus. Contra quam aciem ut plinthio oppositam interpolator posuerat, eam e conjectura supplevimus, cui firmandae primum inserviat peristomi phalangis obscura memoria, quam ex capite XLI consarcinatoris arbitrio hoc nostrum praegresso recte nobis videmur sustulisse, deinde ipsa, quam ille quidem magister desiderabat, plin-

thio adversaria ratio. Quod plinthium cum contra hostes undecunque imminentes quatuor latera graviter armatorum frontibus firmaret, ei contraria non alia poterat excogitari acies, nisi quae et ipsa quaternis adversis frontibus ab omni parte incursura et medium plinthium undique aggressura videretur. Ea acies quin recte potuerit περίστομος dici, nemini dubium erit, quamquam me non latet prorsus aliam esse Asclepiodoti l. c. § 6 sententiam, qui cum dicit ἔστι δ' ὅτε καὶ τετραμερίᾳ πορεύονται κατὰ ἀποτομὰς πανταχόθεν φυλαττόμενοι τοὺς πολεμίους, καὶ γίνεται τετράπλευρον περίστομον, τοτὲ μὲν ἑτερόμηκες, τοτὲ δὲ τετράγωνον, πανταχόθεν ἔχον στόματα, patet ut generis peristomi species duas plaesii ipsius et plinthii formas, quarum nomina prorsus ille ignorat, ab eo describi. Verum hoc ipsum in causa fuisse videtur, ut bonus vir, cui nihil subolebat plinthium Aelianeum idem esse cum altera peristomi Asclepiodotei specie, ambo non diversa tantum sed etiam, si Diis placet, prorsus adversaria agmina in suam chartaceam transferret militiam. Supplementi quidem, quod inserui, singula verba minime spondeo, tamen me non nimis a vero aberrasse putaverim, quippe qui in restaurandi periculo et Asclepiodoti verborum modo adscriptorum et definitionis, quae XLI, 2 extr. de phalange amphistomo legitur, habuerim rationem. Jam de singulis videamus:

Inscriptionem ipsam ex XLI huc transtulimus. Vulgo hic quidem legitur: περὶ ὁμοιοστόμου φάλαγγος καὶ πλινθίου, pro quo in AD tantum ὁμοιόστομος φάλαγξ invenitur.

Ad C. XLII, 1. Qui phalangis homoeostomi definitioni aliquem certe subesse sensum sibi persuaserit, is meam, opinor, probabit emendationem, qua κατὰ πλαγίων scripsi, pro quo vulgo κατ' αὐτῶν, in Φ marg. et in A suprascript. κατ' ἐχθρῶν legitur. Quorum neutrum ferri posse patet. Ex nostra vero sententia descriptionem habemus certe haud absurdam, quae phalangi convenit aut in dextra aut in sinistra paragoga iter facienti, quam eandem esse cum phalange homoeostomo supra vidimus. Verba τουτέστιν — ις' uncinis inclusi: vid. adnotationem ad § 4. ὁμοίως] ὅμοιος Φ marg. αὐτῷ] vulgo αὐτῇ; αὐτῆς D.

Ad B. XLII, 2. ἔχει om E.
3. σφενδονήτου] vulgo σφενδονίτου; A σφενδονίστου.

Ad A. XLII, 5. Verba ὁμοιόστομος διφαλαγγία initio intuli ex AH; contra quae vulgo post συνωνύμῳ extrema leguntur τότε λέγεται ὁμοιόστομος διφαλαγγία, omisi. ὅταν] Ita ex A scripsi; vulgo ὅταν οὖν. ἔχωσιν] ἔχουσιν A.

6. ἑτερόστομος φάλαγξ, quae inscriptio vulgo deest, ut omnia quae sequuntur etiam ad homoeostomum phalangem falsissime referantur, addidi ex AH. ὡς εἰκός] Mirum hic habemus criticae, quam exercendam sibi putavit consarcinator, specimen. Nam cum vulgo doceretur phalangis heterostomi cornu antecedens in sinistra, cornu subsequens in dextra paragoga progredi — quod cur factum sit, supra p. 33 explicavimus —, haec quidem doctrina meo homini offensui erat, quippe qui honorem primariumque locum potius dextri cornu esse meminisset. Hinc mutatis frontibus prius agmen — scilicet ὡς εἰκός! — in dextra, sequens in sinistra paragoga iter facere jussit.

Sed alio etiam modo, si quidem omnia, quae nunc leguntur, verba ejusdem sunt consarcinatoris, illam heterostomi phalangis doctrinam immutavit: neque enim duo tantum

dimidia alternantibus frontibus se subsequi jubet, sed potius singula, quae numero multo plura sunt, tagmata, ut post alterum in sinistra paragoga progrediens tertium subsequaquatur rursus in dextra, tum quartum iterum in sinistra et sic porro. Merum hunc lusum et a vero belli usu alienum esse quivis videt. Sed quicunque eum excogitavit, bis aut tagmatis aut syntagmatis nomen ponere debebat: illud praetuli propter notam epagogae definitionem — vid. XXXVI, 4 et supra p. 28 —. Legebatur enim vulgo *τὰ συντάγματα τὰ ἐναλλάξ*, ubi etiam importunum alterum articulum cum E delevi.

7. De hac paragrapho vid. notam sequentem.

Ad C. XLII, 4. Quae hic de plinthio leguntur, quod ex duabus dimoeriis, h. e. ex uno locho in dimidia sua separato constare dicitur, tam absurda sunt, ut ea vel consarcinatori nostro adscribere dubitaverim. Potius idem glossator, qui supra ad § 1 satis inutiliter *λόχον τέλειον* sedecim hominum esse adnotaverat, ex eodem locho mirum sibi plinthii quoddam portentum effinxisse videtur, in qua una dimoeria in longitudinem, altera in altitudinem extenderetur, scilicet ut explicationi § 2 propositae satisfieret. Perquam ineptum hoc, fateor: sed non vereor, ne ejusmodi hominum ineptiis fines nimis amplos statuerimus. Ceterum in loco nos versari interpolationum pleno etiam A docet, in quo post ultimam hujus paragraphi vocem *διμοιρία* figura sequitur fere Gesnerianae p. 592 similis, homoeostomum phalangem et ei oppositum plinthium exhibens, sed ad vocabulum *πλινθίον*, quod ei figurae subscriptum est, glossa addita legitur haec: *λέγεται, ὅταν ἐκ δ' πλευρῶν τέσσαρ(σ)ιν ἴσαις φάλαγξι παρατάξηταί τις, ὡς εἶναι τὸ περιεχόμενον χωρίον τετράγωνον.* Hoc, ut ad Aelianea proxime accedens, textui sub A intuli.

XLVIII. Quod capita XLIII—XLVII, quibus importune haec interrumpuntur, segregavi, nulla jam amplius, opinor, defensione egebit. In hoc ipso capite quaedam notanda sunt. Titulus vulgo praefertur hic: *περὶ πλαισίου καὶ τῆς ἀντεπαγομένης αὐτῷ τάξεως πεπλεγμένης* et consentiunt codices, nisi quod E *ἀντικειμένης* praebet pro *ἀντεπαγομένης*, et in DH brevior legitur inscriptio: *πλαίσιον ἑτερόμηκες*. Quam ego conjectura posui inscriptionem *περὶ πλαισίου*, ceterorum capitum titulis a me constitutis respondet, quibus semper illius, quae prius explicatur, aciei nomen solum continetur. Sed ut verum fatear, omnes illae inscriptiones non ab ipso capitum auctore profectae videntur, qui satis habuisse videtur, capitis initio nomen, de quo acturus erat, praemittere.

1. *τὸ βάθος — τὸ μῆκος*] Ita plene ad codicum vestigia et rei naturam locum instauravi. Vulgo tantum *τοῦ βάθους τὸ μῆκος* legitur, sed id in A seriore demum manu ex *τὸ βάθος τοῦ μήκους* correctum est. *σφενδονητῶν*] *σφενδονιστῶν* AH.

2 *μετὰ*] Ita AH; vulgo *κατὰ*.

Post *ηὐτρεπισμένοι* locum desinere ab interpolatore profectum, sed, antequam scriba ad genuinum Aeliani textum rediret, plures alias glossas infertas esse librorum vestigia satis ostendunt. Apud Gesnerum quidem primum sequitur definitio, quam nos paragraphum 4 fecimus, sed ut ibi *πλάγιον* et *δυοῖν* legatur, pro quo nos ex A *πλαίσιον* et *δ'* scripsimus; tum sequitur interpolatio

illa Byzantina *ὁπλῖται μὲν — σφενδόναις*, quam jam in dissert. p. 22 explosi; postremo in p. 599 fine addita est plaesii et oppositae peplegmenae phalangis delineatio, haec quidem perquam ridicula. Cum Gesnero prorsus consentit J.

In A vero haec ipsa figura statim post *ἠύτρεπισμένοι* conspicitur, ita ut figurae adscripta sit illa definitio *πλαίσιον — σχήματι*, de qua jam dictum est. Tum vero A in ipso textu ita pergit — consulto omnia vitia retinui —:

Δεῖ δὲ γιγνώσκειν, ὅτι κατὰ τὴν αὐτοῦ ἱστοριογραφίαν οἱ πεζοὶ ὁπλῖται μετὰ κλιβανιῶν εἰσὶ καὶ κασσιδίων, χειροψέλλων καὶ περικνημίδων, ἐπιφερόμενοι δὲ καὶ ἀσπίδας εὐμεγέθεις· οἱ δὲ πελτασταὶ μετὰ λωρικίων καὶ κασσιδίων, ἐπιφερόμενοι σκουτάρια μικρὰ καὶ σφενδόνας, ἄλλοι δὲ αὐτῶν καὶ τ ρ ι κ ο ύ ρ ι α δίστομα· οἱ δὲ τοξόται ἐπιλούρικα καὶ ἐλαφρὰ ἐπιφερόμενοι τὰ τοξοφάρετα αὐτῶν· ὡς αὔτως καὶ οἱ ἱππόται μετὰ λωρικίων καὶ σκουταρίων σμικρῶν καὶ τοξοφαρέτρων αὐτῶν.

Γνώσις σημείων ὁπλίτων (sic!) *πεζῶν τε καὶ καβαλλαρίων, ἀλλὰ μὴν καὶ ψιλῶν καὶ πεζῶν· τὰ δέ τοιαῦτα δεῖ ἐν ταῖς ὄπισθεν παρατάξεσι σημεῖα.*

(Sequuntur signa cum militum generibus p. 5 enumeratis.)

Ὁπλῖται μέν [a]) *εἰσιν οἱ διὰ θωράκων καὶ κρανῶν καὶ περικνημίδων πεφραγμένοι* [b]), *ἐπιφερόμενοι δὲ καὶ ἀσπίδας. εὐμεγέθεις σπιθαμῶν ζ' ἢ θυρεοὺς ἐπιμήκεις καὶ δόρατα ὡσεὶ πηχῶν ιδ'· πελτασταὶ δὲ οἱ ἐλαφροτέραν τούτων ἔχοντες ὅπλισιν· οἱ ἀντὶ θωράκων λωρίκια ἢ ἐπιλωρίκια, πολλάκις δὲ καὶ κασσίδας περιβεβλημένοι· διὸ καὶ οἱ πλείους μετὰ τῶν ψιλῶν πεζῶν τούτους ἔταξαν· ψιλοὶ* [c]) *δὲ οἱ μηδὲν τοιαύτης ὁπλίσεως ἐπιφερόμενοι, ἀλλ' ἢ μόνον τοῖς μακρόθεν πεμπομένοις ἐκηβόλοις χρώμενοι ὅπλοις, οἱ μὲν τόξοις, οἱ δὲ ἀκοντίοις, οἱ δὲ σφενδόναις.*

Easdem interpolationes etiam D Φ E H, sed cum his variationibus tenent:

In D omnia illa inde a *δεῖ δὲ γιγνώσκειν* usque ad *τοξοφαρέτρων αὐτῶν* in margine scripta sunt, sed et hac praemissa nota: *ἔπειτα ἔχει τ̄ φυ*[11] *ἄστρεφα* (i. e. *ἔχει στ' φύλλα ἄγραφα*) *καὶ τότε ἄρχεται ἐντεῦθεν*, et hac postposita: *μετὰ ταῦτα σχήματος τόπος* (i. e. postea spatium est in archetypo figurae delineandae destinatum), *εἶτα ἄρχεται: ὁπλῖται μὲν οὖν εἰσὶν οἱ διὰ θώρακα καὶ τὰ ἑξῆς*, quibus verbis docemur hanc postremam feturam, quamquam in D ipsi textui illatam, ejusdem esse farinae. Hinc et utraque interpolatio transfixa est adjecta nota: *ταῦτα πάντα οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ γαζῇ.*

In Φ uterque locus in ipso textu legitur, parvis singulis intervallis prior ab antecedentibus, posterior a priore separatus; sed juxta utrumque linea rubra in margine ducta est his additis verbis: *τὰ ἑπόμενα οὐκ εἰσὶν Αἰλιανοῦ.*

---

[a]) *μὲν οὖν* vulgo. [b]) *περιπεφραγμένοι* vulgo. [c]) *διλοι* (sic!) A.

In E post verba ηὐτρεπισμένοι μετὰ τῆς ἰδίας δυνάμεως (sic!) capitis textus finitur, et quae sequuntur rubro colore margini allita sunt, sed hac addita inscriptione: σχόλιον. Initio scribit: ἰστέον ὅτι πλάγιον etc.

In H post ηὐτρεπισμένοι paginae sex et dimidia vacuae relinquuntur: vides quam accurate fontem suum expresserit, de quo codicis D librarius — dimidia vero pagina illa delineandae figurae plinthii et peplegmenae phalangis destinata erat — tantum retulit; tum utraque sequitur interpolatio.

Contra in BG, quaecunque inter ηὐτρεπισμένοι et initium capitis XLIX ὑπερφαλάγγησις etc. in ceteris codicibus leguntur, prorsus omissa sunt.

In capitibus XLIX—LIII quamquam haud pauca e codicibus emendari possunt, tamen nimis amplus jam hujus scriptionis ambitus me, ut ad finem properem, admonet. Itaque hoc unum adjicere placet, recte a me p. 20 ridiculam quadrati agminis figuram ejusque ἐξήγησιν, quae p. 603 apud Gesnerum legitur, recentioribus tributam esse temporibus. Omissa est ea declaratio in M; cujus vero sit, satis aperte produnt AFDH: ibi enim et inscriptio haec est: σύνταξις ὁπλιτῶν ἔχουσα ἐντὸς καβαλλάριον, et infra v. 5. 7 bis καβαλλάριον legitur pro ἱππικόν et v. 3 ab imo καβαλλαρίους pro ἱππεῖς; in media autem quae Gesnerianae simillima est figura legitur in AFD (H figuris caret!): τὴν δὲ μέσην χώραν ὁ στρατηγὸς ἐχέτω καὶ τοῦλδον εἰ (ἐὰν A) σύνεστιν. Contra in BE ut in editionibus pedem illum equinum diligenter absconditum invenimus; uterque in textu ἱππικόν et ἱππεῖς. E vero hanc inscriptionem habet: σύνταξις ὁπλιτῶν, τὸ σχῆμα (sic!) τετράγωνος, ἔχουσα ἐντὸς τὸ ἱππικόν.

Ut jam tribus verbis, qui sit hujus dissertationis exitus, comprehendatur: libros tacticos, qui Arriani et Aeliani feruntur, nihil aliud esse nisi unius ejusdemque libri diversas recensiones sive editiones, id non solum ex summo, qui jam ejectis codicum auctoritate interpolationibus et glossis inter eos est, consensu, sed etiam ex notabili eorundem ab Asclepiodoti libello dissensu firmissime est comprobatum. Unum adjicere placet: eas, quas hic habemus, tacticorum elementorum notiones et notationes inde a Pyrrhi demum ejusque filii Alexandri, quos inter scriptores tacticos diserte nominat Aelianus, temporibus usu et doctrina ita invaluisse, ut seriores ad unum omnes, si a levioribus quibusdam discedas, eadem fere iisdem verbis repetere satis habuerint. Similia in libris ad docendum destinatis quotidie fieri videmus.